De Graecourm veterum re musica quaestionum capita duo

Ernst Graf

De Graecorum veterum re musica

quaestionum capita duo

I. de polyphonia et dialecto crumatica
II. de Pindari re musica.

scripsit

Dr. phil. Ernst Graf.

Commentatio ad veniam legendi in academia Marpurgensi impetrandam scripta.

Marpurgi Cattorum.
Apud N. G. Elwertum bibliopolam academicum.
1889.

OTTONI RIBBECKIO

SACRUM.

I. De polyphonia et dialecto crumatica.

In artis vocabula, quae ad rem musicam veteres adhibuerunt, accuratissime inquirere et notionem eorum caute circumscribere eo magis necesse est, quod plerumque in his rebus vocabula sola exstant, cum exemplis ad vim eorum definiendam careamus. errores eo facilius nascuntur, quod permultae harum vocum ad haec tempora manserunt, sed prorsus alia nunc significant atque olim. itaque eorum temeritas improbanda est, qui antiquae musicae tribuunt, quae nostrae propria sunt, solis vocibus nostrarum similibus nisi non perquisitis eis locis, quibus earum apud veteres vis illustrari possit. in his est Rudolphus Westphal, qui, cum *πολυφωνίαν* musicae apud veteres tribui vidisset, non dubitavit eam illi, quam nos nunc polyphoniam appellamus, imputare; cum *διάλεκτον* instrumentorum commemoratam invenisset, statim illa vocum colloquia polyphoniae propria, quorum praecipuae in modis faciendis inde a Batavorum demum saeculi decimi quinti artificiis partes fuerunt, iam in antiquissima Graecorum musica exstitisse pro certo habuit.

Cum ad recte aestimandam veteris musicae indolem maximi momenti sit, quid de *πολυφωνίᾳ* veterum sentias, non inutile puto has duas voces denuo percutere, praesertim cum is, qui nuperrime de his rebus sanissima contra Westphalium protulit, Guhrauer (in commentationibus Martino Hertz dedicatis Berol. 1888 p. 169 sq.) leviter rem perstrinxerit neque eos locos attulerit, quibus certissime confirmari possent, quae ipse recte suspicatur.

Quod olim crediderunt Graecos unisonam tantum musicam habuisse orientalium nostrae aetatis populorum more, falsam hanc opinionem esse cum alii contenderunt, tum certissimis argumentis Westphal demonstravit. canentis enim vox cum instru-

menti sono neque homophona semper neque antiphona (i. e. octavae quae dicitur intervallo diversa) erat, sed iam Terpandri temporibus heterophoniae ratio inter vocem et instrumentum intercedebat (cf. Rossb. Westph. Metr. II^3 31 sq.). Westphali argumentis, quibus hanc heterophoniam probat, nemo hodie non assentitur; unum addi potest philosophos non tam argute in naturam concentus duorum sonorum variis intervallis distantium inquisituros fuisse, nisi musicorum usus hos concentus hominum auribus praebuisset. sed ne hanc quidem heterophoniam duabus eiusdem quasi ponderis vocibus effectam esse, sed ad unum *μέλος* alterius vocis sonis ad arbitrium accedentibus (v. Guhrauer p. 178) vel ipso Platonis loco (leg. VII 812), qui gravissimum de heterophonia testimonium continet, docemur. qui quamvis obscurus sit[1]), ex illis tamen verbis: ‚*ἄλλα μὲν τὰ μέλη τῶν χορδῶν ἱεισῶν, ἄλλα δὲ τοῦ τὴν μελῳδίαν ξυνθέντος ποιητοῦ*' elucet non nisi alterutram vocem a poeta inventam fingi, quod fieri non poterat in vero colloquio duarum vocum, quale Westphal (II^3 43) statuit.

Iam videamus de polyphonia. in Plutarchi qui fertur de musica libello c. 29 hic locus exstat: *Λᾶσος τῇ τῶν αὐλῶν πολυφωνίᾳ κατακολουθήσας πλείοσί τε φθόγγοις καὶ διερριμμένοις χρησάμενος εἰς μετάθεσιν τὴν προϋπάρχουσαν ἤγαγε μουσικήν*, quem Westphal (II^3 37) ita vernacula lingua reddit: ‚Lasos hat die griechische Musik bezüglich der Begleitung auf einen neuen Standpunkt gebracht, indem er die Begleitung des Gesanges durch eine Polyphonie (d. i. Mehrstimmigkeit) der Auloi zur Ausführung brachte und mehrere Klänge (mehr als zwei Klänge) und zwar auseinanderliegende Klänge zur Anwendung brachte'. quam perverse *κατακολουθεῖν* explicaverit, per se patet et a Guhrauero recte monetur. *ἀκολουθεῖν* in Plutarchi libello bis ‚audiendo sequi' significat (34, 2. 35, 4. cf. 35, 2 *πορεία*

---

1) obscurum esse recte iudicat Ambros ac mirum est, quod Westphal (II^3 109) cum Sakellarii interpretatione (ib. p. 103—109) plane dilucidum factum esse dicit. nam neque ille, cum *ἀντίφωνον* in *διάφωνον* mutaret, quid significare crederet: *πυκνότητα μανότητι* vel *τάχος βραδυτῆτι διάφωνον*, indicavit, neque qua ratione in *ψιλῇ κιθαρίσει* chordarum *μέλη* et poetae *μέλη* inter se opponi possent, explicavit.

eodem sensu), semel ‚rationem habere' (14, 1); hoc loco imitandi notionem habet (ut v. c. apud Lucianum iud. voc. 12). itaque *πολυφωνία* non inventum Lasi est (quem errorem ne Christium quidem Metr. 672 vitasse iure mireris), sed iam fuit Lasi temporibus ac fuit in tibiis; Lasus autem eam imitatus est, scilicet in chordis, nam hoc animo supplere cogimur. de cithara cum Volkmanno et Guhrauero hic cogitandum esse inde quoque elucet, quod infra particulis ‚*ἀλλὰ γὰρ καὶ*' transitus fit ad *αὐλητικήν* (sive hoc enuntiatum illis de Laso verbis continuo adiungendum est, ut Wytt. et Westph. censent, sive codicum ordo retinendus, in quibus aliorum citharoedorum mentio interiecta est). nam *αὐλητικήν* hic non esse *ψιλὴν αὔλησιν* sequentia docent (*τῶν αὐλητῶν ὑπηρετούντων τοῖς διδασκάλοις*); itaque non poterat nisi citharisticae aut citharoedicae arti opponi.

Quae vero ista tibiarum *πολυφωνία* est? v. Jan (die griech. Saiteninstr. Progr. Saargemünd 1882 p. 14) dicit: ‚Lasos übertrug die Zweistimmigkeit der Flötenbegleitung auf die Saiteninstrumente' et accurate explicare conatur, quomodo quis in cithara tibiam duplicem imitari possit. sed etiamsi Janio concedere possemus *πολυφωνίαν* id significare posse, quod nos polyphoniam vocamus (i. e. Mehrstimmigkeit cf. Jahrb. 1881, 545), duarum tamen vocum concentum hoc vocabulo unquam significatum esse minime veri simile est. immo eam, quam Guhrauer huic voci notionem Plutarchi loco tribuendam censet (l. l. et Jahrb. 1880, 698), ubertatis sonorum, unice rectam esse et temere fecisse, qui usquam *πολυφωνίαν* polyphoniam esse crediderint, certissime demonstrari potest.

Primum Graeci, sive proprie sive translatis verbis loquuntur, *πολύφωνον* semper id appellant, quod plurimos sonos edere valet, nunquam id, quod pluribus sonis simul emissis constat, quod nos polyphonum vocamus. Aratus v. 1002 cornicem dicit *πολύφωνα κρώζειν*, Aristoteles hist. an. I 9, 6 minora avium genera *πολύφωνα καὶ λαλίστερα* vocat (cf. de part. an. I 17: *τῶν ὀρνίθων ἔνιοι πολύφωνοι*), neuter profecto de concentu cogitavit. Hyperides in libello de sublimitate c. 34 *πολύφωνος* appellatur, utpote qui varietate affectuum, quos ciere possit, et vario loquendi genere Demosthenem superet. Homerum Dionysius

Hal. (de c. v. p. 97 R) *πολυφωνότατον ἁπάντων τῶν ποιητῶν* appellat, cuius iudicii quasi commentarium continet Philostrati locus (Heroic. p. 161 K): *τὸν Ὅμηρον . . . καθάπερ ἐν ἁρμονίᾳ πάντας ψῆλαι τοὺς ποιητικοὺς τῶν τρόπων.* cf. Max. Tyr. 24, 8: *Ὅμηρος . . . πολυφωνότατος καὶ δεινὸς ὁμοῦ τοῖς καλοῖς τὰ αἰσχρὰ ἱστορεῖν.* quod si quis plures locos congerat, nullum confido inventum iri, quo vox *πολύφωνος* sive propriam sive translatam concentus notionem habeat.

In tibiis vero praecipue facultatem permultos sonos edendi eos imitatos esse, qui artem chordas pulsandi ad tibiarum exemplar excolere studerent, ex Platonis loco (rep. III, 399 D) elucet, qui tam accurate cum Plutarcho concinit, ut ad eum illustrandum non mediocriter valeat. ibi Socrates, postquam duo tantum de septem diapason generibus probanda statuit, quia polychordia in re musica opus non sit, trigona quoque et pectides et omnia instrumenta, quae *πολύχορδα* et *πολυαρμόνια* sint, tollenda censet. ***Τί δέ;*** inquit, *αὐλοποιοὺς ἢ αὐλητὰς παραδέξει εἰς τὴν πόλιν; ἢ οὐ τοῦτο πολυχορδότατον καὶ αὐτὰ τὰ παναρμόνια αὐλοῦ τυγχάνει ὄντα μίμημα;* totius loci conexus docet de plurium vocum concentu non agi; *παναρμόνιοι* enim sunt tibiae et instrumenta multifida ad harum exemplum conformata, quia quo plura vel foramina vel chordae canenti praesto sunt, in eo plures *ἁρμονίας* transire potest (Gevaert hist. et th. de la mus. de l'ant. II 245). eiusmodi *μεταβολὴν* Plato hic repudiat, non plurium vocum concentum. *τὸ εὐμετάβολον τῆς αὐλήσεως* a Philostrato (vit. Apoll. p. 181) laudatur. contra in citharodia ante Phrynidis tempora *μεταφέρειν τὰς ἁρμονίας* non licebat teste Plutarcho (de mus. 6) [1]. polychordiae autem hoc maxime proprium esse, quod proclives reddat musicos ad nimis crebros in alias harmonias transitus faciendos, Plutarchus

---

1) Aristoxenus, qui *συμμικτὰ συμποτικά* maxime ad deflendam veteris musicae iacturam conscripsit (v. Plut. de mus. ed. Westphal p. 20), hoc libro *περὶ μεταβολῶν* verba fecisse traditur a Plutarcho (contra Epicur. c. 13). quod propter ea, quae praecedunt (*ἐν συμποσίῳ Θεοφράστου περὶ συμφωνιῶν διαλεγομένου καὶ Ἀριστοξένου περὶ μεταβολῶν*) non licet cum Westphalio (l. l.) de artis mutationibus interpretari; neque Plutarchus nudam vocem *μεταβολῶν* posuisset, si noluisset artis vocabulum intelligi.

confirmat, cum (Sympos. IV 1, 2 6) dicit: Ἐκστατικὸν ἡ μεταβολὴ καὶ τὸ ἀνώμαλον· ὅθεν που καὶ τὰς πολυχορδίας μετὰ πολλῆς οἱ μουσικοὶ κινοῦσιν εὐλαβείας. neque aliter Proclus (ad Plat. Alcib. cf. Leutsch Metrik p. 358) polychordiam intelligit, quam ex tibiarum imitatione ortam esse hisce comprobat: ἕκαστον τρύπημα τῶν αὐλῶν τρεῖς φθόγγους ὥς φασι τοὐλάχιστον ἀφίησι, εἰ δὲ καὶ τὰ παρατρυπήματα ἀνοιχθείη, πλείους [1]).

Quod autem nunc de polychordia dissero, cum πολυφωνίαν explicare velim, πολύχορδος et πολύφωνος plane synonyma sunt. cum avibus πολυφώνοις Aristotelis comparari potest luscinia, quam πολυχορδοτάτᾳ γήρυι ὑμνοῦσαν facit Rhesi auctor (v. 548). a Plutarcho agoni Pythico, quia nimis multis certaminibus locum dederit, καθάπερ ὀργάνῳ πολυχορδία καὶ πολυφωνία exprobratur (Sympos. V 2, 1, 4: nostrae aetatis polyphonia, concentum dico, nullo modo ipsi instrumento tribui poterat). recte is quoque, qui decretum Laconicum conscripsit, quod exstat apud Boethium (de mus. I 1), de voce πολυφωνία sentiebat; qui cum didicisset Timotheum propter maiorem chordarum numerum punitum esse, ephoros eum vituperantes fecit, quod τὰν διὰ τᾶν ἑπτὰ χορδᾶν (scil. μολπάν) κιθαρίζειν ἀποστρεφόμενορ πολυφωνίαν induxisset. Simonides autem (frg. 46 Bgk.) tibiam appellat καλλιβόαν πολύχορδον αὐλόν, quo loco vel numerus singularis nos vetat de polyphonia hodierno sensu accipienda cogitare. inani autem acumine Bergk (hist. litt. gr. II 365) Simonidem hac voce totius poeseos suae varietatem et copiam significare credidit. πολύχορδος ut πολύφωνος nihil nisi epitheton ornans tibiae est, quippe quae ab antiquissimis temporibus plures sonos ediderit quam instrumenta fidibus intenta.

Idem sibi vult Pindarus, cum tibias O. 7, 12 et J. 4, 27 παμφώνους appellat. item P. 12, 19 modi, quos Minerva Gorgonibus a Perseo devictis tibia cecinit, πάμφωνον μέλος vocantur. quo loco Hartung (cf. Mezgeri commentar. p. 197) eiusmodi cantum

---

1) quomodo paucorum foraminum αὐλός vario modo vel inflandi vel foramina claudendi plurimos sonos edere possit, Gevaert II 290 sq. explicat. unde facile intelligitur iam antiquissimo tempore lyram septem chordarum a tibiis sonorum ubertate superatam esse.

intellegit, quo plures semper soni simul emittantur. at vero Minerva, cum sola caneret, non potuit plus duos sonos uno tempore tibiae elicere, quale canendi genus ut supra negavi *πολυφωνίας* verbo indicari, ita epitheto *πάμφωνος* significari potuisse nunquam credam.

Sonorum abundantiam indicat Pindarus, quam cum primo omnium tribuit tibiarum cantui, idem valet ac si *πολυφωνίαν* tibiis natura insitam laudaverit. nam quod Leop. Schmidt, Hartung, Mezger non tibiae inventionem, sed solius nomi polycephali hic referri contendunt, non video, quomodo quae v. 6 sq. narrantur: Midam ea arte (*τέχνᾳ*) vicisse, quam invenerit (*ἐφεῦρε*) Minerva, cum Gorgonum lamentationem imitaretur, aliter possint intelligi nisi de tibiae inventione. an potest artem invenire is dici, qui artis iam inventae singulare specimen edit? Leop. Schmidt propterea negat de tibiae inventione hic cogitandum esse, quia nota illa fabula detrectationem quandam artis contineat neque v. 22, ubi Minerva dicitur invenisse, ut hominibus traderet, ad hanc fabulam quadret. sed minime omnibus hanc de Minerva tibias respuente fabulam acceptam fuisse cum ex ipso Pindari carmine concludas, tum inde, quod fuit quidam nomus auleticus, qui Minervae nomus appellabatur (cf. Bergk PLGr. III[4] p. 5). Pindarus autem, ut minime solet artis vinculis se eis astringere, quae de deis alii tradiderint, ita eos, qui propter deformitatem oris tibiam a Minerva abiectam fingebant, neque ut Boeotus sequi maluisse putandus est neque commisisse, id quod prorsus reprehensione dignum esset, ut deam prioris repudii immemorem iterum tibicinem induceret. (de inventione tibiae veteres quoque Pindari verba intellexerunt, cf. schol. v. 12. 15 et schol. Anth. Pal. 9, 266). primus igitur tibiarum cantus est nomus polycephalus neque casu adductus hunc potissimum Pindarus in totius artis principio ponere videtur, sed ipso nomine commotus.

Πολυκέφαλος quid significet, nugantur scholiastae. nam vel de choro quinquaginta hominum cogitant, cum hic in *ψιλῇ αὐλήσει* versemur, vel de compluribus prooemiis, quae Olympus huic nomo praemiserit. cui explicationi non debuit v. Jan (Jahrb. 1879, 585) astipulari. etenim vocem *προοίμιον* adeo

scholiastae adamaverunt, ut alienissimo quoque loco afferre soleant; velut *ἀμβλήδην γοόωσα* (Il. 22, 476) ap. Eustath. et Hesych. *προοιμιακῶς, ἀπὸ προοιμίου* explicatur, nec minus inepte ad Aristoph. Thesm. v. 52: ‚*μέλλει . . . Ἀγάθων . . . δρυόχους τιθέναι δράματος ἀρχάς*' scholiasta ‚*ἀρχάς· προοίμια*' exhibet. perinde de nomi polycephali multis prooemiis homo doctus aliquis hariolatus est, qui sciret *ἀκέφαλα* ea scripta appellari, quae exordio carerent (velut dialogi ap. Diog. Laert. III 61 vel historiae ap. Lucian. de hist. conscr. c. 23). neque magis in Boeckhii sententia acquiescere licet, qui ob multa capita partesque cantici hoc nomen ei inditum esse credit. etenim apud rhetores demum *κεφάλαια* [1], cum cardines orationis et singularum partium quasi cacumina significent, ad ipsas quoque partes denotandas usurpantur. ex horum autem loquendi usu non potest vestustissimum illud nomen explicari nec video, qua praeterea ratione voci *πολυκέφαλος* multarum partium notio tribui possit. sonorum multitudinem hac voce designari cum Hartungio credo. iam Bartholinus, qui a. 1679 de tibiis veterum disseruit, p. 125 ideo, quia ‚multiplex et quasi diversorum corporum sonus' esset tibiis, hoc epitheton illi nomo tributum esse censet. neque autem, id quod Hartungio placet, plures sonos simul emissos significare potest, ut supra probavi, sed varietatem sonorum deinceps prodeuntium indicat, qua cum omnis tibiarum musica excellat, Pindarus artem tibiis canendi modo inventam statim *πολυκεφάλους* et *παμφώνους* modos genuisse commode fingit.

Haec est *αὐλῶν πολυφωνία*, quam in fidibus non poterant nisi aucto chordarum numero imitari. quod verbis ‚*πλείοσί τε φθόγγοις καὶ διερριμμένοις ἐχρήσατο*' indicatur. nam *διερριμμένοις*, ut ‚*διέρριψεν*' in proximis verbis, de maioribus intervallis, quibus auctis chordis uti licet, recte Guhrauer cum Volkmanno intelligit. optime autem illud *πλείοσι* et *διερριμμένοις* eo illustratur, quod initio c. 18 in antiquissima musica *στενοχωρία καὶ ὀλιγοχορδία* vituperatur. in nostra quoque musica simplicissima quaeque melodia angustissimo intervallorum orbe circumscribitur.

---

1) forma *πολυκέφαλος* ad *κεφάλαιον* referenda esset, ut *δίσημος* ad *σημεῖον* et similia.

Ne quis autem miretur, quod istam polychordiam, quam Plato detestatur, quam ephori puniisse feruntur, iam Laso tribui statuimus, qui ante Pindari et Aeschyli tempora fuit — Lasum musicae mollitie et artificiis depravatae, quae multis post eum annis ingravescebat, prima semina iecisse aliis quoque rationibus ex ipso hoc Plutarchi loco sumptis probare licet. etenim artiore vinculo Lasum ibi cum famosis musicae corruptoribus coniunctum esse quam cum veteribus illis, quos Aristoxenus colit, si totius loci conexum mendis quibusdam obscuratum excusserimus, elucebit.

c. 28—30 artissime inter se cohaerent; initio c. 28 Plutarchus profitetur se de eis verba facturum, quae *ὑπὸ τῶν ἀρχαίων προςεξεύρηται καὶ κεκαινοτόμηται*; quos etsi multa novasse concedit, nunquam tamen non *μετὰ τοῦ σεμνοῦ καὶ πρέποντος* novasse contendit. sed disputationem non intra hos fines manere ex c. 30 colligitur, ubi acerbissima comicorum in Melanippides Philoxenos Timotheos Phrynides cavillatio affertur et in fine *ἀτοπία* huic musicorum generi tribuitur. quaerendum igitur est, quonam loco a probis veterum mutationibus ad vituperanda recentium inventa transeatur. c. 28 verba fiunt de Terpandro et Archilocho, c. 29, 1. 2. de Polymnasto et Olympo. sequuntur verba (c. 29, 3): *Δηλοῖ δ' ἕκαστον τῶν ἀρχαίων μελῶν, ὅτι ταῦτα οὕτως ἔχει* (scil. re vera invenisse illos, quae invenisse traduntur). quibus verbis videtur *ἀρχαίων* commemorationi finis imponi. sequitur locus de Laso, tum (c. 30 in.) de Melanippide Philoxeno Timotheo verba fiunt, deinde de tibicinum mutata condicione, denique de comicis tres illos poetas deridentibus. rectissime Wyttenbach, cui Westphal astipulatur, secundi et tertii enuntiati locum mutavit, nam verba: *ὡς καὶ Φερεκράτη* etc. non possunt nisi ad locum de Timotheo ceterisque continuo annecti.

Itaque commemorata Lasi polyphonia statim haec sequuntur: *ἀλλὰ γὰρ καὶ αὐλητικὴ ἀπὸ ἁπλουστέρας εἰς ποικιλωτέραν μεταβέβηκε μουσικήν. τὸ γὰρ παλαιόν, ἕως εἰς Μελανιππίδην τὸν τῶν διθυράμβων ποιητήν, συμβεβήκει τοὺς αὐλητὰς παρὰ τῶν ποιητῶν λαμβάνειν τοὺς μισθούς, πρωταγωνιστούσης δηλονότι τῆς ποιήσεως. ὕστερον δὲ καὶ τοῦτο διεφθάρη.* verba:

ἕως εἰς Μελ. ..... ποιητήν' Volkmann delenda censuit. nescio, qua de causa id fecerit, sed complura me commovent, ut ei assentiar. primum qui verbis *τὸ παλαιόν* et *ὕστερον* utitur, noluisse videtur accuratius tempus significare. alioqui ambigue loqueretur, nam si Melanippides ipse primus mercedem auletis non dabat, quid sibi vult *ὕστερον*? deinde, id quod gravissimum est, eo loco, qui continuo sequitur (secundum Wyttenbachii ordinem), Melanippides *ὁ μελοποιός* commemoratur. Westphal (in interpretatione p. 53) duos Melanippidas distinguit (M. d. Dithyrambencomponist — M. der Liedercomponist). duos Suidas novit, quorum minorem notum illum dithyramborum poetam fuisse ex confusa Suidae doctrina viri docti effecerunt. sed utut de Suidae verbis iudicas, M. *ὁ μελοποιός*, quia una cum Philoxeno et Timotheo in eorum, qui rem musicam novarint, numero affertur, non potest diversus esse a M. dithyrambico. itaque de eodem Melanippide utroque Plutarchi loco verba fiunt. at vero maxime mirum est, unum hominem bis paucis verbis interiectis commemoratum duobus diversis epithetis insigniri. qua re confirmatur suspicio interpolatori priorem eius mentionem deberi[1]). accedit, quod ipsa annectendi ratio: *‚Λᾶσος ... ἀλλὰ γὰρ καὶ αὐλητική .... ὁμοίως Μελαν. ἐπιγενόμενος'* suadet, ut ea, quae de mutata auleticae condicione referuntur, tempore Laso quam Melanippidae propiore ponamus. quodsi quaerimus, quonam iure etiam auleticae vetusto illo tempore *ποικιλίας* affectatio tribuatur, statim in mentem venit clari illius Pratinae hyporchematis (frg. 1), ubi tibicinum insolentia v. 5 sq. his repellitur: *τὰν ἀοιδὰν κατέστασε Πιερὶς βασίλειαν· ὁ δ' αὐλὸς ὕστερον χορευέτω· καὶ γάρ ἐσθ' ὑπηρέτας.* quibus Plutarchi verba tam similia sunt, ut non dubitem, quin Aristoxeni vel eius, qui haec conscripsit (v. Westphal l. l. p. 18), animo Pratinae locus obversatus sit. certe illo docemur *ποικιλίᾳ* iam Pratinae i. e. Lasi temporibus tibicines quoque studuisse.

Apud Plutarchum denique commemoratis Melanippida Philoxeno Timotheo de hoc additur: *‚οὗτος γὰρ ἑπταφθόγγου τῆς*

---

1) etiam sic altero loco *μελοποιός* epitheton plane inutile est, quia toto hoc loco nonnisi de *μελοποιοῖς* agitur. cum praecedat *Λᾶσος ὁ Ἑρμιονεύς*, persuasissimum mihi est scribendum esse *Μελανιππίδης ὁ Μήλιος*.

λύρας ὑπαρχούσης ἕως εἰς Τέρπανδρον τὸν Ἀντισσαῖον διέρριψεν εἰς πλείονας φθόγγους.' Westphal scribit: ‚*οὗτοι .... διέρριψαν.*' sed neque tribus illis neque soli Timotheo tribui potest, quod eisdem verbis (*πλείονας — πλείοσι, διέρριψαν — διερριμμένοις*) supra Laso adscribitur. itaque Volkmann, quia unus tantum septem chordarum numerum primus augere potuit, haec quoque ad Lasum referenda putavit et verba: ‚*οὗτος γὰρ .... φθόγγους*' omissis verbis: ‚*ἕως εἰς .... Ἀντισσαῖον*' in fine c. 29 posuit; Volkmanni rationem Guhrauer (l. l. 1888 p. 182) probat. in verbis ‚*ἕως εἰς Τέρπανδρον τὸν Ἀντισσαῖον*' iure offendit Volkmann; neque quidquam proficimus eis, quae Westphal proponit: ‚*ἕως εἰς Ἀριστοκλείδην Τερπάνδρειον τὸν Ἀντισσαῖον*'; nam si Aristoclides primus plus septem chordas adhibuit, quidni ipse potius quam tres illi *διαρρῖψαι εἰς πλείονας φθόγγους* dicitur? sed quae Volkmann ipse proposuit: ‚*Λᾶσος πλείοσί τε φθόγγοις καὶ διερριμμένοις ἐχρήσατο, οὗτος γὰρ .... διέρριψεν εἰς πλείονας φθόγγους*', minime ferenda sunt. equidem in toto hoc enuntiato: ‚*οὗτος γάρ* (i. e. Timotheus) — *φθόγγους*' interpolatoris manum agnosco, qui vulgatam opinionem, qua omnia in musica usque ad Pindari et Aeschyli aetatis finem pura et sancta fuisse credebantur, Plutarchi loco inculcavit quamvis contrariam eis, quae de Laso traduntur. iste autem vir doctus non ‚usque ad' sed ‚inde a' Terpandro septichordem lyram usque ad Timotheum intactam fuisse opinabatur. Terpandrum enim primum septem chordis usum esse item pervulgata opinio fuit, cf. Terp. frg. 5. ‚*ἕως εἰς T.*' haud scio an corrigendum non sit, cf. Luciani diss. cum Hesiodo c. 1, ubi Hesiodus dicitur *θεῶν γενέσεις διηγούμενος ἄχρι καὶ τῶν πρώτων ἐκείνων χάους καὶ γῆς* etc.'

Longe a vulgari ista ratione uno temporis limite bonam et corruptam musicam distinguendi ea discrepant, quae Aristoxenus, si modo illi haec debentur, de musicae mutationibus tradit. absoluta enim vetustissimorum incrementorum enumeratione (28, 1 — 29, 2) Lasus quasi primus musicae depravator inducitur. etenim una cum Lasi mentione de tibicinum superbia, quae eodem tempore (v. supra) primum exstitit, verba fiunt; Melanippidae autem inventa, quorum acerba irrisio infra non

sine assensu (c. 30, 6) commemoratur, voce ὁμοίως annectuntur, quasi peius nihil ille commiserit, quam quae Lasi temporibus fiebant; unde recte concludere mihi videor illa quoque de Laso verba: ‚εἰς μετάθεσιν τὴν προϋπάρχουσαν ἤγαγε μουσικήν' corrumpendi et depravandi quandam notionem continere.

Hinc iudicandum, quod Lasus dicitur εἰς τὴν διθυραμβικὴν ἀγωγὴν μεταστῆσαι τοὺς ῥυθμούς. non possum facere cum Guhrauero, qui (l. l. 1888 p. 182) Lasum credit ἀγωγήν, quae iam esset illo tempore in dithyrambis, ad alia poeseos genera adhibuisse, Schneidewini verba secutus (de Laso Herm. ind. lect. Götting. 1842/3): ‚quidquid praeter dithyrambos pangebat lyrici carminis, dithyrambico colore infecit'. nam ἡ διθυρ. ἀγωγή non potest intelligi nisi de ea rythmorum licentia, quam in recentioribus quoque poetae comici non desinunt castigare. haec autem maxime repudiata forma antistrophica efficiebatur (sic iam Ulrici recte διθ. ἀγ. interpretatus est, cuius sententiam impugnat Schneidewin p. 16) neque unquam credam illo tempore ἀναβολάς istas in aliis poematis usurpatas esse. ipsi igitur Lasi dithyrambi intelligendi sunt et τοὺς ῥυθμούς inde explicandum, quod dithyrambi notissimum Lasi poematum genus erant; quorum etiam inventor ferebatur.

Dionysius quidem Halicarnasensis (de c. v. 19) de dithyrambi rythmis haec refert: τοῖς ῥυθμοῖς κατὰ πολλὴν ἄδειαν ἐνεξουσιάζοντες διετέλουν οἵ γε δὴ κατὰ Φιλόξενον καὶ Τιμόθεον καὶ Τελέστην· ἐπεὶ παρά γε τοῖς ἀρχαίοις τεταγμένος ἦν καὶ ὁ διθύραμβος. at Dionysius, utpote in rebus musicis non nimium peritus (id quod e libro de comp. verb. quamvis elegantissimo satis apparet), de rythmis perinde iudicat ac de fidibus is, qui verba de Timotheo chordas primo addente interpolavit, scilicet ante Philoxeni huiusque similium poetarum aetatem non nisi ἀρχαίους fuisse, qui egregia et veneranda omnia procrearint; Aristoxenus hanc quoque licentiam docet a Laso repetendam esse. altius autem ἀγωγήν rythmicam dithyrambi propriam cum Guhrauero repetere non audeo. itaque Plutarchi verba sic interpretor: Lasus dithyrambi rythmos, qui antea a ceterae poeseos simplicitate non differebant, ita immutavit, ut peculiaris illa

ἀγωγή exsisteret, quae ex eo tempore dithyrambi propria habebatur.

Schneidewin (l. l. p. 15), quamquam ‚ὁμοίως' illud ei scrupulum iniecit, tamen Lasum eximium statorem artis, non depravatorem fuisse contendit allatis Pherecratis, qui Melanippidem primum corruptae musicae auctorem inducit, et Dionysii testimoniis. de Dionysio iam vidimus; neque comici poetae erat accuratam artis musicae historiam tradere; vivos ille insectatur, de Laso theatra non curabant. neque de his depravationis incunabulis nisi eruditissimi videntur scivisse; nam λασίσματα (Hesych. s. v. Mein. com. inc. frg. 158) non ad modos musicos (ut Bernhardy hist. litt. gr. II 1, 546 et alii credunt), sed ad ludicra responsa (Athen. VIII 338 B sq.) pertinere neque causam esse, cur ex Hesychii loco cum Meinekio versum comicum edolemus, recte monet Schneidewin p. 18.

Plutarchi autem totus locus ob id ipsum maximi momenti est, quod contra vulgarem opinionem nos docet eorum, de quibus temporis acti laudatores queri solebant, primam originem ab aetate repetendam esse vetustiore eis viris, quos ut praecipuos musicae purae et sincerae auctores illi maxime colunt. idem cadit in polychordiam, qua Lasus tibiarum πολυφωνίαν aequare studebat.

Verae polyphoniae i. e. plus quam duarum vocum concentus commemorationem in solo Aeliani Platonici loco — συμφωνία ἐστὶ δυοῖν ἢ πλειόνων φθόγγων ... κρᾶσις (cf. Westph. II³ 38) — exstare fateremur, nisi Guhrauer l. l. nos doceret verba ‚ἢ πλειόνων' auctoritate omnino destituta esse. nam in Porphyrii ad Ptolem. commentario, ubi hic locus affertur, desunt neque Westphal, unde hauserit, indicat.

Quod denique Pindarus O. 3, 8 se vocem humanam cum cithara et tibiis miscere testatur, iniuria hinc Westphalium (p. 39) efficere Pindari musicam non minus quattuor vocum fuisse recte Gevaert (I 371) et Guhrauer monuerunt. quamquam quos illi modos statuerunt cantum cum instrumentis ita iungendi, ut heterophona tantum musica exsisteret, eo laborant, quod tibiarum naturae rationem non habuerunt; binas enim tibias, quas iunctas inflabant tibicines, veri simile non est aut unisonas

fuisse aut *διὰ πασῶν* semper concinuisse (quod difficilius fuit in tibiis pari fere magnitudine qualia in monumentis plerumque comparent, cf. Driebergi lexicon veteris musicae Berol. 1835 p. 91), sed vel solae heterophoniam praebebant; canentium autem vox videtur cum graviore tibia consonuisse, fidium sonus vel huic vel acutiori tibiae poterat addi.

Iam transeundum est ad *διαλέκτους χρουματικάς*, quarum in vetere musica varietas in Plutarchi de musica libro c. 21,4 laudatur. Westphal (II³ 39 sq.) colloquia earum vocum, quae instrumentis efficiantur, interpretatur, qualia in nostrae aetatis fugis inveniuntur. in eodem libro c. 36, 4 auletae *διάλεκτος* commemoratur. quo loco Volkmann et Guhrauer (l. l. et Jahrb. 1880, 696) *αὐλητοῦ* et *αὐλητικῆς* in *αὐλῳδοῦ* et *αὐλῳδικῆς* mutanda censent et *διάλεκτον* de pronuntiandi modo eius, qui ad tibias voce canat, intelligendum. v. Jan (Jahrb. 1879, 584) hanc mutationem improbat et *διάλεκτον* ad ipsum tibiarum cantum refert, adhibita Westphali interpretatione, qua quamvis audaci meliorem tamen adhuc inventam non esse iudicat. item Reimann (Progr. Ratibor 1882 v. Burs. ann. 1885) *διάλεκτον* hoc loco duarum vocum concentum, qualis tibiarum proprius sit, interpretatur. at vero Westphali ratio non modo graeci sermonis consuetudini prorsus contraria est, sed etiam cum aliis locis, ubi *διάλεκτος* in instrumentis musicis commemoratur, conciliari nequit; quos locos neque Weil (cuius iudicium Westphal ipse p. 45 exscripsit) neque Guhrauer, qui contra Westphalium dixerunt, attulerunt.

Illud primum mireris quod uterque concedendum putat Westphalio vocem *διάλεκτον* nude positam posse colloquium significare. ut verbum *διαλέγεσθαι* per se idem fere significat atque *λέγειν*[1]), unde non nisi paulatim in colloquendi notionem

1) ita sophistae recentiores, cum in publicum prodeunt, *διαλέγεσθαι* dicuntur (Philostr. vit. soph. passim); cf. *διαψάλλειν*, quod non est ‚totam citharam nullo nervo omisso perpulsare', ut Wernsdorfio ad Himer. 17 placet, sed simpliciter de psallendo usurpatur (ὃς *καλῶς διαψάλλει* ... *τριγώνοις* Eupolis Bapt. 1) vel *διαύλιον* de solius tibiae cantu, *διαψηλάφημα* de citharae modis rythmo liberis (Anon. Bell. 3), *διᾴδειν* de cantore Aristot. poet. 26; *διά* praepositio, si quam vim in his verbis habet, totam ac continuam vel bene ordinatam ac distinctam esse verbi actionem indicat.

transiit (in Platonis Alcib. I 129 B tamquam in confinio versamur; ubi quamquam, qui colloquuntur, *διαλέγεσθαι* invicem ambo dicuntur, tamen *ὁ διαλεγόμενος* et *ὁ ἀκούων* inter se opponuntur; Socrates ipse *διαλέγεσθαι* a definiendi notione ‚*διαλέγειν κατὰ γένη*' ductum censebat Xen. mem. IV 5, 12), ita in substantivo *διάλεκτος* nihil inest, quod non insit in simplici verbo *λέγειν*. itaque vel universam loquendi notionem habet (velut Dionysius Hal. de c. v. p. 58 R *διαλέκτου μέλος* appellat minorem illum vocis ambitum, quo sermo a cantu differat — cf. Aristox. harm. I 9 *διαλεγομένων γὰρ ἡμῶν οὕτως ἡ φωνὴ κινεῖται* — et a Plutarcho adv. Col. 22. 5 *διάλεκτος* = *λόγος* de universo hominum sermone usurpatur) — vel singularem unius hominis aut populi loquendi consuetudinem significat. Plato (rep. V 454 A), cum altercationem utili disputationi opponit, verbis *ἐρίζειν* et *διαλέγεσθαι* aequalitatis gratia comparat substantiva *ἔριν* et *διάλεκτον πρὸς ἀλλήλους*, ubi *διάλεκτος* non nisi additis ‚*πρὸς ἀλλήλους*' verbi *διαλέγεσθαι* vicibus fungi potuit. Stallbaum ad h. l. conferre iubet Sympos. 203 A. sed quae ibi de Amore, qui interpretis inter deos hominesque munere fungatur, dicuntur: *διὰ τούτου πᾶσά ἐστιν ἡ ὁμιλία καὶ ἡ διάλεκτος θεοῖς πρὸς ἀνθρώπους*, vertenda sunt: per hunc dei ad homines verba faciunt; colloquii in ipsis verbis mentio nulla inest. cf. Leg. X 887 D, ubi puero dicitur eo persuaderi deos esse, quod parentes videret *θεοῖς εὐχαῖς προςδιαλεγομένους καὶ ἱκετείαις*, ib. IV 716 D: *θύειν καὶ προσομιλεῖν τοῖς θεοῖς εὐχαῖς καὶ ἀναθήμασιν καὶ ξυμπάσῃ θεραπείᾳ θεῶν*. quibus locis *διαλέγεσθαι* et *ὁμιλεῖν* alterius tantum partis sunt, non utriusque. neque aliter de his vocibus sensit Maximus Tyrius, qui Symposii locum imitatus (diss. 11 c. 8) preces philosophi dicit non esse *αἴτησιν τῶν οὐ παρόντων*, sed *ὁμιλίαν καὶ διάλεκτον πρὸς τοὺς θεοὺς περὶ τῶν παρόντων καὶ ἐπίδειξιν τῆς ἀρετῆς;* scilicet *διαλέγεται* philosophus coram deis de virtute sua, sicuti sophistae apud auditores *διαλέγονται*, cum orationem habent, non colloquuntur cum eis. apud Platonem Theaet. 146 B Theodorus non vult Socratio more se interrogari, quia sit *ἀήθης τῆς τοιαύτης διαλέκτου*, ubi quamquam de colloquio agitur, ipsis tamen his verbis nihil dicit Theodorus nisi insuetum se esse

eius loquendi generis, quo in tali colloquio opus sit (cf. Schmidt Synonymik I 102).

Διάλεκτος igitur si instrumentis tribuitur, loquendi subest comparatio, non colloquendi. quod primum videmus factum ab Aristotele, qui (de anima II 8, 9) haec dicit: *ἡ φωνὴ ψόφος τις ἐστὶν ἐμψύχου· τῶν γὰρ ἀψύχων οὐδὲν φωνεῖ, ἀλλὰ καθ' ὁμοιότητα λέγεται φωνεῖν, οἷον αὐλὸς καὶ λύρα καὶ ὅσα ἄλλα τῶν ἀψύχων ἀπότασιν ἔχει καὶ μέλος καὶ διάλεκτον· ἔοικε γὰρ ὅτι καὶ ἡ φωνὴ ταῦτ' ἔχει.* eundem locum paraphrasi interiecta Porphyrius in commentario ad Ptolem. harm. p. 192 sic exhibet: *Τῶν γὰρ ἀψύχων, φησὶν Ἀριστοτέλης, οὐδὲν φωνεῖ. οὐ γὰρ φωνὴν προΐεται, ἀλλὰ κατά τινα ὁμοιότητα καὶ μεταφορὰν αὐλός τε καὶ λύρα λέγεται φωνεῖν, οὐ κυρίως μέντοιγε, καὶ ὅσα ἄλλα τῶν ἀψύχων τάσιν ἔχει· τοῦτο δέ ἐστιν ὀξύτητα καὶ βαρύτητα τὴν ἐν μουσικῇ· ταύτην γὰρ τάσιν λέγουσιν. ὅσα οὖν ταύτης μετέχει καὶ τοῦ μέλους, καταχρηστικώτερον εὔφωνα λέγεται καὶ φωνὴν ἔχειν. Διαλέκτῳ γάρ, φησίν, ἔοικε τὴν τάσιν ἔχοντα κατὰ* (lege *καὶ*) *τὸ μέλος. ἐπεὶ καὶ τὴν φωνὴν ταῦτα ὁρῶμεν ἔχουσαν τὰ ἰδιώματα κατὰ τὰ μέλη.* apparet Porphyrium in suo Aristotelis exemplo locum sic conformatum reperisse: *καὶ ὅσα ἄλλα τῶν ἀψύχων τάσιν ἔχει καὶ μέλος· διαλέκτῳ γὰρ ἔοικεν ὅτι καὶ ἡ φωνὴ ταῦτ' ἔχει.* i. e. lyrae et tibiae sonitus potest cum loquela (*διαλέκτῳ*) comparari, quia perinde atque vox humana *τάσιν* et *μέλος* habet. at deterioris notae codicem Porphyrio praesto fuisse vel inde cognoscitur, quod ‚*τάσιν*' ter exhibet pro ‚*ἀπότασιν*', quae difficilior et sine dubio verior lectio est (v. infra); sequentia autem verba, qualia Porphyrium legisse conclusimus, inconcinnitate Aristotele non digna laborant; neque enim *ἄψυχα* illa instrumenta *διαλέκτῳ* similia sunt, sed eorum soni. altera vero lectio sana est et perspicua, dummodo ‚*ἔοικε*' ne interpretemur ‚videtur', sed, id quod saepissime significat, ‚notum est'. nec Simplicius, qui solet varias lectiones afferre, discrepantiae mentionem facit; quem eadem legisse, quae in codicibus exstant, ex commentario eius elucet. *διάλεκτον* igitur lyrae et tibiae propriam esse Aristoteles dicit.

Quid sit *διάλεκτος* Aristoteli, aliis librorum eius locis abunde edocemur. hist. an. IV 9 distinguuntur *ψόφος φωνή διά-*

λεκτος. atque *φωνή* eis omnibus tribuitur animalibus, quae guttur et pulmonem habeant, *διάλεκτος* eis, quae praeterhac lingua mobili praedita sint. illis enim procreari vocales, hac consonantes; quibus constare *διάλεκτον*, quae sit *τῆς φωνῆς τῇ γλώττῃ διάρθρωσις*. ea autem non homines soli utuntur, sed etiam complura avium genera, quibus tenues lataeque linguae sunt (§ 6). neve quis miretur, quod vocales consonantesque ab avibus quoque Aristoteles emitti statuat, *γράμματα φθέγγεσθαι* eae dicuntur hist. an. II 12, 4: *μάλιστα τῶν ζῴων μετὰ τὸν ἄνθρωπον γράμματα φθέγγεται ἔνια τῶν ὀρνίθων γένη* (cf. de part. an. c. 17 in.). ipsum verbum *διαλέγεσθαι* eodem sensu adhibuit, qui scripsit problema ineditum II 86 (Aristot. ed. Didot. vol. IV): (*ἡ τῶν ἀνθρώπων φωνὴ*) *πλείστας ἔχει διαφορὰς καὶ εἴδη, τὰ δ' ἄλλα ζῷα ἢ οὐδὲν γράμμα ἢ ὀλίγα διαλέγεται*. nec diversa haec animalium *γράμματα* esse a dialecto etiam ex hist. an. I 1, 13 apparet, ubi inter animalia *φωνήεντα* opponuntur *ἀγράμματα* eis, quae *διάλεκτον* habeant. unde sequitur non eas hic aves respici, quae possint hominum sermonem imitari, sed ipso cantu earum haec *γράμματα* contineri; ita luscinia hist. an. IV 9, 9 dicitur pullos *διάλεκτον* suam docere, quippe quae fingit possit, cum vox immutabilis eis natura insita sit. non igitur necesse est ratione praedita esse, quae *διάλεκτον* edant, sed ab hominum sermone et *γράμματα* et *διάλεκτος* ad omnes voces ab Aristotele translata sunt, quae membratim et distincte proferantur, sive quid significant sive inanis soni sunt.

Prorsus diversa est Sex. Empirici ratio, qui Pyrrh. hypot. I 14, 74 animalia quoque quodammodo *διαλέγεσθαι* dicit, utpote quae sonitus suos, sicut homines, a ceteris eiusdem generis animalibus intelligi velint. idem dicit Aristoteles, cum de part. an. 1, 17 avibus *ἑρμηνείαν* tribuit, quia, quae sentiant, vocibus inter se communicare possint. in hominum sermone eadem ratione *διάλεκτον* Plutarchus (Platon. quaest. 10, 2, 2) ab eo singula verba componendi modo, quo sensus nullus exsistat, distinguit. hanc quoque *διάλεκτον* fieri non posse nisi ubi varietas sonorum sit, Sextus ipse indicat, cum contrariam ei vocem nihil significantem *φωνὴν μονοειδῆ* appellat.

Iam facile perspicitur, quomodo *διάλεκτος*, qualem Aristoteles intelligit, instrumentis quoque musicis inesse possit. tria sunt, quae Aristoteles l. l. eis tribuit, *ἀπότασιν μέλος διάλεκτον*. *ἀπότασιν* habere per se omnia dici possunt, quae per aliquod temporis spatium pertinent; *ἀποτείνειν* verbo Plato Protag. 329 A. de sono vasorum aeneorum non statim deficiente utitur — *τὰ χαλκεῖα πληγέντα μακρὸν ἠχεῖ καὶ ἀποτείνει, ἐὰν μὴ ἐπιλάβηταί τις*. at vero omnis tonus (qua voce sonum musicum a strepitu distinguo), quia periodico aeris motu nascitur, necesse est aliquod temporis spatium impleat, ut percipi possit. idem dicit Porphyrius (ad Ptol. p. 259), cum tonum negat esse nisi *ἐν παρατάσει*, et Arabes, quorum doctrina e Graecis fontibus fluxit, docent: »Ein Ton ist ein mit einer gewissen Dauer erscheinender Klang« (Ambros hist. mus. p. 88). itaque *ἀπότασις*, utpote sine qua tonus consistere nequeat, ad ipsam tonos edendi facultatem significandam usurpatur. hinc explicanda quae Aristoteles hist. an. V 14,4 dicit: *διαφέρει ἡ φωνὴ τῶν ἀρρένων καὶ τῶν θηλειῶν ἐν τῷ βαρύτερον φθέγγεσθαι τὰ ἄρρενα τῶν θηλειῶν, ὅσων ἐστὶν ἀπότασις τῆς φωνῆς*, nempe acutiores et graviores soni in eis tantum animalium vocibus distingui possunt, quae tonis constant, non mero strepitu. *μέλος* explicat, quod iam inest in apotasi, scilicet musicos sonos instrumentis gigni (*μέλος* non de melodia, sed de soni ipsius indole Plato quoque Phileb. 51 D. usurpat, ubi *τῶν φωνῶν αἱ λεῖαι καὶ λαμπραὶ αἱ ἕν τι καθαρὸν ἱεῖσαι μέλος* commemorantur); *διάλεκτος* autem variorum tonorum seriem bene ordinatam et distinctam edendi facultatem significat. itaque, ut exempla afferam, lapis vel gutta cadens neque *ἀπότασιν* neque *διάλεκτον* habet; una chorda vel tintinnabulum vel unus fistulae calamus *ἀπότασιν* et *μέλος* habent, non *διάλεκτον*; dialecto foramina tibiae vel chordarum numerus uno instrumento iunctus locum dant. cum hac explicatione consentit Simplicius, qui in commentario ad hunc locum (p. 148 ed. Hayduck) eadem ratione *μέλος* et *ἀπότασιν* a dialecto distinguit. *σαφὲς δέ*, inquit, *καὶ ὅτι ἐν μόνοις τοῖς ἐμψύχοις ἡ φωνὴ καὶ ὅτι αὐλὸς ἢ λύρα καθ' ὁμοιότητα λέγεται φωνεῖν διὰ τὸ ἀπότασιν ἔχειν, ἥτις τὴν διαστηματικὴν 'παρὰ τοῖς μουσικοῖς φωνὴν λεγομένην δηλοῖ, οἵα ἡ μελιζομένη, ἣν τὰ μουσικὰ μιμεῖται ὄργανα — (κίνησιν δια-*

στηματικὴν vox humana in canendo habet, cum intervalla transsiliens in singulis tonis aliquamdiu moratur, cf. Aristox. harm. el. 18; quae moratio *ἀπότασις* est, qua cantus a prosa oratione differt). *τῇ μὲν οὖν ἀποτάσει τὸ ἐν τῇ φωνῇ μιμεῖται μέλος, τῇ δὲ τῶν ἤχων διαστάσει τὴν διάλεκτον ταῖς συλλαβαῖς διωρισμένην* i. e. diversis sonis deinceps iungendis instrumenta musica humani sermonis (*διαλέκτου*) similitudinem efficiunt.

Aliis veterum locis, ubi comparatio vocis humanae cum instrumentis instituitur, confirmatur quod contendimus propter hanc potissimum facultatem *διάλεκτον* eis tribui. velut Porphyrius p. 223 dicit: *τὸ φυσικὸν πνεῦμα διὰ τῆς ἀρτηρίας ὡς δι' αὐλοῦ ἔξεισιν, σχηματίζεται δὲ ὑπὸ τῆς γλώττης ὡς τοῖς δακτύλοις τὸ ἐμφύσημα*, digitorum igitur motum, quo sonorum in tibia varietas efficitur, cum linguae motu comparat, quam potissimam *διαλέκτου* effectricem Aristoteles statuit. quod Lucius Tarrhaeus (anecd. Oxon. IV 308) et Choeroboscus (Bekk. anecd. II 703) *προςῳδίαν* apud musicos esse dicunt *τὸ στόμα καὶ τὴν ἐκφώνησιν τῶν αὐλῶν*, apparet hic quoque singularem tibiae cuiusque soni indolem et quasi *διάλεκτον* nominibus ab hominum sermone translatis notari[1]). nec non fidibus vox comparatur, veluti Pollux II 105. 114 linguam, cum vocem distinguat, plectri vicibus fungi dicit. uberius vocis humanae cum utroque instrumento similitudinem exsequitur Meletias (Cramer anecd. Ox. III 85 sq.).

Neque vero praetereundus Diomedis grammatici locus (vol. II p. 420 Keil), qui, postquam de vocis articulatae et confusae

1) *προςῳδίας* notio non expletur grammaticorum usu, qui accentus spiritus mensurae notas hac voce significant. *ἐπὶ τῆς προςφωνήσεως* usurpari Aeschyli frg. 339 docemur, de cantu *πρὸς κιθάραν* a Polluce IV 64. *χειρονομίαν* addit Zonaras 1583 (v. Steph. lex.) fortasse quia saltatio gestibus similiter articulatur ac sermo accentus et mensurae observatione. Plato autem rep. III 399 A *φθόγγους τε καὶ προςῳδίας* eius, qui in pugnis et periculis versetur, imitari dicit harmoniam doricam. quo loco *προςῳδίαι* idem significant atque voces; *στόμα* vero et *ἐκφώνησις* peculiaris cuiusque voces edendi consuetudo est nec differt a *διαλέκτῳ*, quatenus illa singulis hominibus tribuitur. cum his facit, quod Zonaras l. l. *προςῳδίαν* interpretatur *ὀργάνου φωνήν*.

differentia disputavit, haec adiungit: ‚quidam etiam modulatam vocem addiderunt tibiae vel organi, quae quamquam scribi non potest, habet tamen modulatam aliquam distinctionem'. quae cum Aristotelis de dialecto instrumentorum testimonio egregie conveniunt. nam vox modulata sive articulata a dialecto non differt: illa a Graecis vocatur *φωνὴ ἔναρθρος* sive *ἐγγράμματος*, hanc Aristoteles *φωνῆς διάρθρωσιν* definit et *γράμματα φθέγγεσθαι* dicit ea animalia, quae dialecto utantur. nec minus *ἔναρθρος*, sicut *διαλέγεσθαι* apud Sex. Empiricum, notionem significantes voces edendi, quae per se non inest huic vocabulo, accipere potuit; velut in Stobaei ecl. c. 57 (p. 497 Wachsm. = Plut. Plac. 4, 19): *λέγεται καὶ καταχρηστικῶς ἐπὶ τῶν ἀλόγων ζῴων φωνὴ καὶ τῶν ἀψύχων, ὡς χρεμετισμοὶ καὶ ψόφοι· κυρίως δὲ φωνὴ ἔναρθρός ἐστιν, ἔστι γὰρ φωτίζουσα τὸ νοούμενον.* perinde Pollux II 114 *πνεῦμα* prius *ἄναρθρον* lingua *εὐσήμαντον* fieri dicit.

Unde duplex ratio voces omnes in genera distribuendi nata est, quarum utriusque exemplum in scholiis Dionysii Thracis arti subiectis exstat (Bekk. anecd. II 676. 771). priore enim loco distinguuntur:

I. 1) *φωνὴ ἔναρθρος* = *ἐγγράμματος*
a) *σημαντική* b) *ἀσήμαντος*
2) *φωνὴ ἄναρθρος* = *ἀγράμματος*
a) *σημαντική* b) *ἀσήμαντος*, altero:

II. 1) *φωνὴ ἔναρθρος* = *σημαντική*
a) *ἐγγράμματος* b) *ἀγράμματος*
2) *φωνὴ ἄναρθρος* = *ἀσήμαντος*
a) *ἐγγράμματος* b) *ἀγράμματος*.

cum singulae partes in I et II accuratissime congruant ordine solo immutato, licet exempla, quae altero loco afferuntur, in alterum transferre. qui priorem ordinem composuit, I 1 b affert ‚*σκίνδαψος*', quod verbum quamquam ab hominibus pronuntietur, nihil tamen significet[1]); si sibi constare voluit, articulatas

1) *σκινδαψος* a Sex. quoque Empirico (adv. logicos VIII 133) cum *βλίτυρι* exemplum *φωνῆς μὴ σημαινούσης* affertur et multis aliis praeterea locis, quos in Fabricii doctissima ad hunc Sexti locum adnotatione (p. 482)

ceterorum animalium voces hic afferre debuit, id quod loco congruo II 2 a fieri videmus, ubi inter *ἀσήμαντα ἐγγράμματα* afferuntur *κοΐ* et *βρεκκεκεκέξ*, quippe quae litteris scribi possint. itaque I 1 cum dialecto Aristotelis comparari potest, modo ne *ἐγγράμματα* cum latinis grammaticis ea sola appellemus, quae scribi possunt, sed omnes sonos, quorum certae partes possunt distingui, ipsius Aristotelis exemplum sequentes, qui avium cantui *γράμματα* tribuit. contra II 1 cum eo, quod erat apud Sex. Empiricum *διαλέγεσθαι*, conferri potest. nam quod II 1 b *συρισμός* tantum hominis commemoratur, qui significet aliquid, sed litteris scribi nequeat, licet huic exemplo addere canis latratum, qui et I 2 a inter *ἀγράμματα σημαντικά* affertur et apud Sextum inter ea exempla est, quibus animalia *διαλέγεσθαι* probare conatur. posterior vocum distributio (II) fortasse Apollonio vel Herodiano debetur, nam apud Priscianum quoque (p. 5 K.) exstat. Max. Victorinus (p. 189) utram sequi voluerit, non satis dilucide cognoscitur, cum sana ratione neglecta vocem dividat in articulatam, quae sit hominum tantummodo, et confusam, quae scribi non possit. (in scholiorum Dionysii utroque loco simili inconstantia contra rationem dividendi per se consentaneam sub 1 humanae tantum vocis exempla afferuntur). apud Marium Victorinum (p. 4), qui angustioribus terminis vocis articulatae notionem circumscribit, cum eam esse dicit, quae audita intelligatur et scribatur (i. e. I 1 a = II 1 a), mero casu vel potius mera stultitia Marii, quem prorsus latebat speciem musicam vocis articulatae eum, quem exscripsit, de voce *διαστηματικῇ* intelligi voluisse, instrumentorum soni in vocis articulatae fines inciderunt. ad hanc enim instrumentorum musica non potest nisi ut *ἐγγράμματος ἀσήμαντος* (I 1 b) referri et hoc

---

collectos invenies. mirum sane est, quod hoc potissimum grammatici inanis vocis exemplo utuntur, non *φλαττοθρατ* vel similibus; etenim *σκίνδαψος* instrumenti musici nomen antiquitus fuit; quod iam Galenus loco a Fabricio laudato contra hunc grammaticorum usum monuit, et Athenaeus IV c. 81 Anaxilae comici aliorumque locis, quibus huius instrumenti mentio fit, confirmat. gemino usu *τραγέλαφος*, cum in proverbiis quasi vox inanis soni cum scindapso iungatur, a Plinio tamen ut bestia, quae vere sit, describitur.

sine dubio ‚quidam' illi voluerunt, quorum Diomedes mentionem inicit. in Dionysii Thracis scholiorum duobus locis, quos tractavimus, instrumenta musica non commemorantur, sed tertio quodam p. 754 sq. ibi *ἐναρμόνιος* explicatur *ἔναρθρος*, bestiarum autem vox negatur *ἐναρμόνιος* esse, quia non *ἀπὸ διανοίας ἐκπέμπεται; ἐναρμόνιος* igitur = *ἔναρθρος* II 1. p. 755 autem Melampodi *ἐναρμόνιος* dicitur *ἡ ἀνθρωπίνη φωνὴ καὶ πᾶσα ἡ μιμουμένη αὐτὴν οἷον κιθάρα ὄργανον σῦριγξ*, ubi *ἐναρμόνιον* apparet esse *ἔναρθρον* I 1, instrumentorum igitur sonos I 1 b.

Iam vero in hominum sermone *διάλεκτος* cum universam loquendi facultatem tum singularem dicendi modum significat: instrumentorum *διάλεκτον* eam adhuc solam tractavimus, quae priori eius vocis significationi respondet; neque vero deest exemplum, quo certum aliquem tibiis vel fidibus canendi modum hac voce denotari posse doceamur. Photius lex. p. 300, 1 haec exhibet: *νιγλαρεύων τερετίζων, καὶ ὁ νίγλαρος κρουματικῆς διαλέκτου ὄνομα. Εὔπολις Δήμοις* (frg. 27 M. = 110 K.)· ‚*τοιαῦτα μέντοι νιγλαρεύων κρούματα*'. | *νιγλάρους τερετισμούς*. | *νίγλαροι τερετίσματα καὶ περίεργα κρούματα.* quo loco *κρουματικὴν διάλεκτον* idem esse contendit Meineke atque apud Polybium 3, 36 *κρουσματικὴν λέξιν*; Polybius autem eos, qui in terrarum descriptionibus nomina eo fine coacervent, ut inanibus sonis, non rerum imaginibus, animos legentium commoveant, crusmatice loqui dicit. verba igitur nihil significantia hic cum instrumentorum sonis (quae sunt proprie *κρούματα*) comparantur; unde apparet, quam recte hos supra cum *σκίνδαψος* et *βρεκκεκεκέξ* s. n. I 1 b ut *ἀσήμαντα ἐγγράμματα* (i. e. articulata et dialecto praedita) contulerimus. Meinekii sententiam Kock amplectitur, qui ad Pherecratis frg. 145 (= Plut. de mus. c. 30) v. 27 adnotat ‚*νιγλάρους* meras esse voces, quibus certa aliqua significatio non subiecta sit, quale *φλαττοθρατ*, *θρετταvελο*', et Ar. Ach. 554 atque Eupolidis locum laudat.

At vero si hanc verbi *νίγλαρος* vim Photius indicare voluisset, ineptissime ad hunc potissimum Eupolidis locum de ea disseruisset. Eupolidem ipsum non de verbis inanibus cogitare, sed de veris instrumentorum sonis manifestum est; etenim verba quamquam cum crumasin comparari, nunquam tamen poterant

κρούματα appellari. neque autem cogi nos Photio falsam loci Eupolidei interpretationem imputare sequentia docebunt.

Addito *τερετίζων* Photius explicat *νιγλαρεύων*. ac re vera Aristoteles personatus probl. 19, 10 *τερετίζειν* significare dicit *φωνὴν ἄνευ λόγου ᾄδοντος*, quod confirmatur a Philodemo, qui col. XXIX dicit musicos *ἀσήμαντα ἀναδιδόναι καθάπερ τὰ διὰ τῶν ὀργάνων καὶ τὰ τερ* ..., ubi *τερετιζόμενα* (sic Rosini vocem redintegrat) vel *τερετίσματα* ei soni dicuntur, qui non instrumentis, sed voce fiunt, rationis tamen expertes sunt. ad *κρουσματικὴν* autem *λέξιν*, qualem intelligit Polybius, proxime accedit Plutarchus (Platon. quaest. X 2, 2), cum eos, qui velint solas coniunctiones praepositiones articulos omissis nominibus et verbis coniungere, *τερετίζειν* potius dicit quam *διαλέγεσθαι*; item Aristoteles, cum analyt. post. I 22 ideas Platonis *τερετίσματα* esse dicit, i. e. interprete Philopono (v. Steph. lex.) *λόγους ῥημάτων ψιλῶν διανοίας κενῶν*.

Quae omnia prorsus videntur cum Meinekii et Kockii de niglaris sententia facere. attamen *τερετίζειν* non hominum proprium esse, sed cum ad avium cicadarumque cantum, tum ad ipsos instrumentorum sonos adhiberi multis veterum locis docemur. vel tibiis vel fidibus *τερετίσματα* tribuuntur ac partim *τερετίζειν* universe significat ‚instrumento musico canere', — velut in Phrynichi comici Comastarum hoc versu: ‚*ἐγὼ δὲ νῷν δὴ τερετιῶ τὸ πτιστικόν*', qui illustratur Nicophontis versu e Chirogastoribus eodem loco a Polluce (IV 55) allato: ‚*ἀλλ' ἴθι προσαύλησον σὺ νῷν πτισμόν τινα!*' (cf. Hesych. *τερετίσματα· κιθάρας κρούματα*) — partim singulare modorum genus *τερετίζειν* indicat; itaque Anonymus Bellerm. (§ 10 = 92) et Bryennius (p. 481 ed. Wallis) *τερετισμόν* peculiarem quandam artificiose vel canendi vel psallendi figuram vocant, cuius quae fuerit indoles non potest a nobis accurate cognosci, videtur tamen unius soni crebra repetitione maxime effecta esse. praeterea a Suida *τερετίσματα* vocantur *ᾠδαὶ ἀπατηλαὶ καὶ θελκτικαί* et *ᾄσματα ἔκλυτα*. quibus verbis non credo solum illud artificium respici, id quod Bellermanno, qui hunc locum attulit (l. l. p. 25), videtur; sed *τερετίσματα* hic omnino effeminatum et artificiosum musicae genus significant; technici autem, ut saepe, vocem ex communi

usu sumptam angustioribus finibus circumscripserunt. quod confirmat Philodemus, qui (de mus. col. IV) negat suae aetatis musicam rebus divinis aptam esse, quia iam non a divino furore incitatis, sed a mercede conductis exerceatur, qui solum sciant *τερε*.... (cetera evanuerunt); his non singularem illum Bryennii et Anonymi *τερετισμόν* respici manifestum est. complura igitur verbo *τερετίζειν* significari videmus: primum sonos ore editos sensus expertes; deinde tibiae fidiumve cantum; tum musicam ab antiqua simplicitate nimis remotam. quae huius verbi notio fortasse cum prima cohaeret; nam qui ornamentis additis canendi artem ostentare vult, eum necesse est in singulis syllabis diutius morari, quam sententiae ratio postulat; unde facile fit, ut inanes sonos inter verba poetae interponere videatur. tale ornamenti genus videtur Aristophanes Euripidi exprobrasse, cum Aeschylum *εἱειειειλίσσετε* (*κατὰ μίμησιν τῆς μελοποιΐας* schol.) cantilantem faceret. quid quod melismatis nomine (quod etiam ap. Anon. et Bryenn. rem teretismatis simillimam indicat) hoc artificium apertissime significatur a Demetrio (de elocut. p. 74 W.): *καὶ ἐν ᾠδαῖς δὲ τὰ μελίσματα ἀπὸ τοῦ ἑνὸς γίνεται τοῦ αὐτοῦ μακροῦ γράμματος, οἷον ᾠδῶν ἐπεμβαλλομένων ᾠδαῖς. ὥστε ἡ τῶν ὁμοίων σύγκρουσις μικρὸν ἔσται τι ᾠδῆς μέρος καὶ μέλισμα?* cf. p. 70 de forma *ἠέλιος*: *ἔχει γάρ τινα ἡ λύσις καὶ ἡ σύγκρουσις οἷον ᾠδὴν ἐπιγινομένην.* a cantu autem *τερετίζειν* latiore illo sensu, quo modos molles et artificiis abundantes significat, ad instrumenta quoque translatum videtur; unde Photius l. l. et Hesychius in *νιγλάρων* interpretatione *τερετίσματα καὶ περίεργα κρούματα* coniungunt. haec verbi notio a musicis rursus coartata est ad certum aliquod artificium significandum, in quo sine dubio corrupta veteris musicae simplicitas ac severitas imprimis cernebatur.

Quodsi quaerimus, quaenam vocabuli *τερετίζειν* notio Photii auctori obversata sit, cum *νιγλαρεύων* interpretaretur *τερετίζων*, iam in ipsam vocem *νίγλαρος* inquirendum est. *νίγλαρος* tibia quaedam Aegyptia teste Polluce (IV 82) appellabatur; quae parvula erat (*μικρὸς αὐλίσκος*) ob eamque causam acuta. in maioribus quoque tibiis acutissimam sonorum regionem hac voce indicatam esse inde suspicari licet, quod scholiasta Ar. Ach. 555

νίγλαρον dicit *τρῆμα* esse. sonum ipsum tibiarum eo nomine significari Pollux testatur (IV 83), cum *νιγλάρους* inter *μέλη αὐλημάτων* enumerat. hunc usum confirmat Aristophanes, qui Ach. 554 in bello parando urbem plenam esse dicit *αὐλῶν κελευστῶν νιγλάρων συριγμάτων*; quem versum male Kock in sua *νιγλάρων* interpretatione laudat; nam cantilantes profecto homines in illo strepitu nemo audivisset.

At *νίγλαροι* etiam in fidibus fuerunt; hoc elucet e Pherecratis fragmento 145 K. (= Plut. de mus. c. 30), ubi *νίγλαροι* in Timothei inventis enumerantur. de tibiis non licet cogitare, nam toto illo loco de citharoedorum insolentia agitur; neque autem ad cantum haec vox referri potest, nam neque *φλαττοθρατ* aut *θρεττανελο* aut eiusmodi voces, quas Kock hic intelligit, neque omnino hominum cantus qualiscunque cum tibiae parvae acuto stridore comparari poterat. (si re vera v. 26 sq. continuo post v. 23 ponenda sunt, qua in re Westphal Valgulio assentitur, *ᾄδων* v. 26 non de voce humana interpretandum est, sed de citharae cantu; cf. *ᾖδον ἔψαλλον* Etym. G. teste Steph. lex., *προψάλματα τῶν κιθαρῳδῶν, ἅπερ .... ᾄδουσι δοκιμασίας ἕνεκεν τῆς ἀπηχήσεως τῶν χορδῶν* Jo. Philop. ad Ar. anal. post. p. 136 laudatus a Schmidtio Synon. III 359). fidibus vero ut *νιγλάρους* tribuamus, complura suadent. primum enim ad tibiarum exemplum psallendi artem excoli solitam esse supra vidimus (adde Platonis leg. III 700 D., ubi in recentiore musica vituperatur, quod *αὐλῳδίας κιθαρῳδίαις* imitari conetur). neque in eo flore, quem veteres testantur, citharistica esse potuit, nisi tibiarum non modo *πολυφωνίαν*, sed etiam ceteras virtutes ut aequiperarent, operam dedissent. ac re vera si eam psilocitharisticae historiam, quam Athenaeus XIV, c. 42 e Philochori Atthide enarrat, accuratius intuemur, quantopere auleticae vestigia presserit, ubique apparet, quamvis Athenaeus ipse de tibiarum imitatione nullum verbum faciat. velut Lysander Sicyonius non solum *μακροὺς τοὺς τόνους ἐντεῖναι*[1]) *καὶ τὴν*

---

1) *τόνοι* non sunt chordae, ut Schweigh. explicat; sed eiusmodi sonos Lys. adhibuisse dicitur, qui non statim evanescerent (recte Christ Metr. 91: »lange Töne«); *ἐντείνειν* enim non solam chordas in instrumento figendi

φωνὴν εὔογκον ποιῆσαι dicitur, sed etiam primus *χορὸν περιστήσασθαι*, et Dion Chius primus fertur *τὸ τοῦ Διονύσου σπονδεῖον κιθαρίσαι*. quae omnia ad aequandam tibiarum vim facta esse manifestum est.

Atqui acutiorum sonorum imbecillitate omne fidium genus maxime a tibiis differt; hos ut magis sonoros redderent, *νιγλάρων* artificio certe effectum est. age vero inter Lysandri merita haec quoque enumerantur, quod *χρώματα .... πρῶτος ἐκιθάρισε καὶ ἰάμβους καὶ μάγαδιν, τὸν καλούμενον συριγμόν*. *συριγμός*, qui apud Pollucem inter *αὐλῶν μέλη* est, tibiarum imitationem, magadidis nomen octavae superioris (ut huius aetatis sermone utar) adiunctionem indicat; unde ingeniose Gevaert (II 267) *νιγλάρους* non differre ab hoc artificio coniecit et cum flageoletto nostro comparat, quod et tibiae parvulae nomen est et in fidibus modum quendam significat media chorda leviter tacta sonum *διὰ πασῶν* intervallo acutiorem proferendi; nec *σύρμα*, quod Ptolemaeus commemoret, ad aliam rem referendum esse putat.

Non tamen Gevaertii explicatio dubitatione caret. ac primum *σύρμα* illud omnino removendum est; Ptolemaeus enim l. II c. 12 canonem (i. e. monochordon) ad exercendam musicam minus aptum esse demonstrat, quia hoc instrumento nequeant effici *ἐπιψαλμὸς σύγκρουσις ἀναπλοκὴ καταπλοκὴ σύρμα καὶ ὅλως ἡ διὰ τῶν ὑπερβατῶν φθόγγων συμπλοκή. διὰ τὸ τὴν κρούουσαν χεῖρα μίαν οὖσαν μήτε τὰς μείζους διαστάσεις ὑπερβαίνειν δύνασθαι ῥαδίως μήτε δύο διαφερόντων ἅμα ἅπτεσθαι τόπων*. at vero flageoletti artificium quominus in canone exerceatur nihil obstat neque in hoc cadunt duae illae causae, quas Ptolemaeus affert. *ἐπιψαλμός* et *σύγκρουσις* sine dubio ad posteriorem earum pertinent, cetera tria ad priorem pertinere nec multum inter se differre vel ex verbis ‚*καὶ ὅλως*' concludas; praeterea *πλοκῆς* definitio apud Aristidem Quint. (p. 29), cui est sonorum series *διὰ τῶν ὑπερβατῶν διαστημάτων* progre-

vim habet, sed multo ampliorem, cf. Dionys. Hal. de Isocrate p. 540: *ἁρμόττει τὰ ὀνόματα περιέργως, τὴν εὐφωνίαν ἐντείνων μουσικήν*, idem de vi Demosth. p. 1102: *εἴ τις ᾠδαῖς ἢ κρούμασιν ὀργάνων τὸ κάλλιστον ἐντείνας μέλος ῥυθμοῦ μηδένα ποιοῖτο λόγον* etc.

diens, cum his optime concinit. syrmatis igitur proprium erat, quod intervalla transsilire cogebat.

Neque vero de magadide magis stare poterit Gevaertii sententia. de qua Boeckh in libro de metris Pindari p. 261—265 disputavit nec tamen ad liquidum rem perduxit. tria significat haec vox: fidium genus, tibiam, modum. multarum chordarum instrumentum Anacreon (frg. 18) magadidem appellavit. eam ceteris instrumentis eo praestitisse, quod binas simul chordas *διὰ πασῶν* distantes pulsare liceret, Phillis et Aristoxenus testantur locis ab Athenaeo XIV c. 36 et 38 allatis (Boeckh 262). Aristoxenus virorum et puerorum in ea inesse dicit *συνῳδίαν*, quos *διὰ πασῶν* concinuisse docemur Ar. probl. 19, 18. vetustissimum autem de hoc psallendi modo testimonium Pindari est (frg. 125 Bgk.), quod recte interpretari non nihil refert. ibi Terpander barbiton invenisse dicitur in Lydorum cenis *ψαλμὸν ἀντίφθογγον ὑψηλᾶς ἀκούων πηκτίδος*, pectis autem et magadis eiusdem instrumenti nomina sunt (quamquam erant, qui aliter sentirent). quem locum cum laudat, male Athenaeus (XIV c. 37) haec praemittit: *Πίνδαρος λέγει τὸν Τέρπανδρον ἀντίφθογγον εὑρεῖν τῇ παρὰ Λυδοῖς πηκτίδι τὸν βάρβιτον* (v. Boeckh explic. p. 617). immo in solo pectidis sono *ἀντιφωνίαν* fuisse et e Pindari verbis elucet (alioqui *ἐγείρων* pro *ἀκούων* exspectaremus et dativum pro genetivo) et ab Aristoxeno intellectum est. compara simillimum locum Sophoclis Mysorum: *πολὺς δὲ Φρὺξ τρίγωνος ἀντίσπαστά τε | Λυδῆς ἐφύμνει πηκτίδος συγχορδία*, ubi *ἀντίσπαστα* non ad trigonon, sed ad ipsius pectidis chordas inter se *ἀντιφώνους* recte refert v. Jan (de fidibus Gr. diss. inaug. Berol. 1859 p. 32). barbiton igitur non *ἀντίφωνον* magadidi, sed simillimum ei erat. quod cum barbiton graves chordas habuisse veterum testimonio, qui *βαρύμιτον* interpretantur, constet, efficiendum est magadidem quoque gravibus chordis intentam fuisse; hoc ipse Pindarus confirmat, cum eam *ὑψηλάν* appellat. Asiatica enim instrumenta eo differebant a Graecis, quod diversae longitudinis chordas habebant; quo longiores autem chordae erant, eo altius totum instrumentum esse oportebat. v. Jan (l. l. p. 16) dicit: ‚inde quod Pindarus illam nominat *ὑψηλάν*, acute eam sonuisse non audeo concludere‘;

quin etiam contrarium debuit concludere; etenim huius aetatis Graeci, nisi fallor, acutum dicunt *ὑψηλόν*, veteres nunquam. nec facit contra haec Telestes Selinuntius (Athen. XIV c. 21, v. Jan l. l.), cum *ὀξυφώνους πηκτίδων ψαλμούς* cum gravioribus tibiis coniunctos commemorat; immo et graves et acutae chordae ut in instrumento *πολυχορδοτάτῳ* praesto erant et simul pulsabantur, quae erat propria huius instrumenti indoles; nam *πηκτίς* etiamsi diversa fuerit a magadide, simillima tamen eius nisi fuisset, non potuerunt plane confundi. itaque non est cur cum Boeckhio (p. 261) magadidem acutum instrumentum dicamus; v. Jan autem (die griech. Saiteninstr. Progr. Saargemünd 1882 adn. 151) cum dicit barbiton graviore diapason cum acuta pectide consonuisse laudato Pindari loco, in Athenaei errorem denuo incidit. quomodo quis eius instrumenti, quod inventurus sit, iam audire possit concentum cum alio instrumento, neque Athenaeus neque v. Jan nos docent. nam ‚*εὗρεν ἀκούων*' = ‚invenit et tum audiit' nolim Pindaro imputare neque intelligo cur non pulsare potius quam audire Terpander instrumentum a se inventum dicatur.

Iam videamus de magadide tibia. v. Jan l. l. adn. 134 pectidem quoque tibiae nomen esse suspicatur, sed sine iusta causa. nam pectis inter *ἐμπνευστά* fistulam significat, quippe quam *ἐπήξαντο* pastores (cf. Theocr. 4, 28). ad pectidem *ἐντατόν* eandem etymologiam Sophocles adhibet in Thamyra (frg. 227 Di.); nam quod ibi *πηκταί τε λύραι καὶ μαγάδιδες τά τ' ἐν Ἕλλησι ξόαν' ἡδυμελῆ* coniunguntur, videntur Asiana instrumenta ut affabre facta Graecorum priscae simplicitati opponi. eadem de causa credo apud Lucianum (dial. mar. 1, 4) Polyphemi lyram rudissime factam a Doride pectidem appellari, instrumenti eleganter compositi nomine iocose usurpato. nam re vera hoc loco lyrae manifestissima imago depingitur et ipsa Doris brevi post eam lyram vocat. haec Luciano dignior explicatio est, quam v. Janii sententia (de fid. Gr. p. 30) vituperantis Lucianum, quod, cum de pectide disputet, eam prorsus confundat cum lyra. ad fistulam referenda, quae v. Jan (ib. p. 30) de fidibus intelligit, Clementis verba in paedagogo (non protreptico, ut v. Jan dicit) II, 4, 42: *χρῶνται παρὰ τοὺς πολέμους Τυρρηνοὶ μὲν τῇ*

σάλπιγγι, σύριγγι δὲ Ἀρκάδες, Σικελοὶ δὲ πηκτίσιν καὶ Κρῆτες λύρᾳ καὶ Λακεδ. αὐλῷ etc. nam Siciliae propter poesin bucolicam fistula propria est; quam si non Clemens ipse, qui male pectides a syringe distinguit, at auctor harum ineptiarum in animo habuit.

Ut ad magadidem tibiam veniamus, solus Ion eam commemoravit hoc versu: ‚Λυδός τε μάγαδις αὐλὸς ἡγείσθω βοῆς'. singularem hanc mentionem fuisse vel inde elucet, quod fuerunt, qui contra metrum τε post αὐλός insererent; quos refutat Didymus (Boeckh p. 265); Aristarchus γένος αὐλοῦ interpretatur; quod ex ipsis verbis efficere poterat. Didymus μάγαδιν αὐλόν dictum esse putat ut προςαυλούμενον τῇ μαγάδιδι, quod mirum loquendi genus esset; maxime autem mira sunt, quae Tryphon teste Athenaeo (IV c. 80) dicit. is enim μάγαδιν αὐλόν eum interpretatur, qui ἐν ταὐτῷ ὀξὺν καὶ βαρὺν φθόγγον ἐπιδείκνυται, et confirmat hoc versu Anaxandridae ex Hoplomacho: ‚μάγαδιν λαλήσω μικρὸν ἅμα σοι καὶ μέγα'. unde hoc unum concludere licet certi nihil veteres de hac tibia scivisse. nam neque Anaxandridae versum est cur ad tibiam potissimum referamus, neque quam describit Trypho tibiae indolem, quid sibi velit, intelligi potest. ac Gevaert quidem (II 275) credit tibicinem celerrimo a graviore ad sonum diaposon acutiorem transitu concentus similitudinem effecisse; sed Gevaert in eo errore versatur, quod tibias iunctas a veteribus adhiberi solitas esse omnino negat, cum re vera solae fere in usu fuerint. gravem et acutum sonum nulla tibia non una edebat. nam neque fieri potuit, ut aliquis duos calamos in ore tenens invicem eos inflaret, neque in auleta observatum esset, num tibiae consonarent (Plut. d. mus. 36 v. infra), nisi ambas simul inflasset; ad eundem autem sonum edendum binas tibias usurpari solitas esse cogitare absonum. omnium igitur tibiarum est, quod Tryphon soli magadidi tribuisse dicitur. in Anaxandridae autem versu μάγαδιν non tam instrumentum quam modum significat. neque ullum fere est instrumenti nomen, quod non etiam modi nomen sit (cf. Poll. IV 83); de magadide insuper Philochorus l. l. hunc usum testatur; item Diogenes tragicus in Semela (Athen. XIV 38): κλύω Λυδάς .... Ἄρτεμιν σέβειν

ψαλμοῖς τριγώνων πηκτίδων ἀντιζύγοις
ὁλκοῖς κρεκούσας μάγαδιν etc.

ad exemplum Sophoclis Mysorum loci (v. supra) restituo *πηκτίδων τ' ἀντιζύγοις*. *ὁλκοῖς* non explico, *ὁλκαῖς* suspiceris scribendum, modo *ἕλκειν* (ut *σπᾶν* v. infra) possit ad chordas trahendas adhiberi; *ψαλμῶν* certe synonymum exspectamus. *μάγαδις* autem hic id dicitur, quod psallendo gignitur; itaque non est cur in Anaxandridae versu *μαγάδι* cum Meinekio aut *μάγαδις* (i. e. *ὥσπερ μάγαδις*) cum Casaubono scribamus. *μικρὸν ἅμα καὶ μέγα* recte Athenaeus *ὀξὺ καὶ βαρύ* interpretatur; neque hic vulgaris loquendi usus aliunde ignotus est, ut Boeckhio (p. 266) videtur, sed *μέγεθος* pro tasi identidem usurpat Nicomachus; idem *μείζονα* vocat acutiorem sonum (cf. Vetter spec. lexici in mus. gr. Progr. Meissen 1861 s. v. *μέγας* et *μέγεθος*), contra *μεῖζον τὸ βαρύ* dicitur in probl. Aristot. 19, 8.

Artissime cum voce *μάγαδις* coniunctam fuisse concentus duorum sonorum notionem vel ipse Tryphonis error ostendit. idem verbi *μαγαδίζειν* (Ar. probl. 19, 18) usus docet; quod significat seriem binorum sonorum eodem intervallo distantium edere (cf. Gevaert I 368. II. 242). eodem referendus iocosus verbi usus apud Theophilum comicum (Athen. XIV 36, Boeckh 262) de tormentis compluribus personis simul admotis. quamobrem Ionis magadin equidem suspicor epitheton ornans omnis tibiae esse (a fidibus translatum sicut *πολύχορδος αὐλός* apud Simonidem) nec mirum puto in tanta nominum turba, quam ne doctissimi quidem expedire poterant (hoc veterem scriptorem dicere memini), etiam Aristarchis et Didymis accidere potuisse, ut speciem ducerent, quod generis epitheton esset. sed ut re vera fuerit tibiae species, quae Tryphon de ea dixisse fertur, sensu carent; suspicor ipsius Athenaei negligentia ad certam istam tibiam referri, quae Tryphon de universa magadidis notione dixerat.

Ad Philochori locum redeo, ubi *μάγαδις* in *ψιλοκιθαριστικῆς* artificiis enumeratur. iam apparet hoc artificium maxime in binorum sonorum concentu constitisse. potest mirum videri, quod inter inventa Lysandri eum psallendi modum reperimus, qui iam ante Terpandri aetatem notus erat; at psilocitharistica

diutissime non solum Asianorum instrumentorum similitudinem, sed eas quoque artes, quibus in fidibus voci iunctis iampridem utebantur, respuisse videtur. cf. Phaniam Peripateticum (ap. Athen. VIII c. 46) de Stratonico, qui fuit Alexandri temporibus, haec referentem: *δοκεῖ τὴν πολυχορδίαν εἰς τὴν ψιλὴν κιθάρισιν πρῶτος εἰςενεγκεῖν*, in symposiis enim et omni profana musica polychordiam iam plus quadringentis annis aute usitatam fuisse constat. nescimus praeterea, quibus fortasse argutiis Lysandri magadis vetustissimo illi psallendi generi praestiterit; illud autem recte concludere mihi videor, cum peculiari tibiae sonitu nihil ei commune fuisse; nam siqua fuit magadis tibia, a fidibus ipsa nomen accepit. quamobrem quod inter Lysandri inventa legimus: ‚*καὶ μάγαδιν, τὸν καλούμενον συριγμόν*', vereor ne scribendum sit: *καὶ μάγαδιν καὶ τὸν καλούμενον συριγμόν*.

Iam apparet Gevaertium non recte magadidem cum flageoletto comparare, cum non acuti soni edendi, sed acutum cum gravi simul proferendi ars magadidis vocabulo indicetur. *νιγλάρους* ut eodem modo interpretaretur, magadidis cum syrigmo apud Philochorum copulatione adductus est, quam dissolvendam esse probare conatus sum. neque ullo testimonio confirmari potest, cum discesseris a monochordo, quod raro usus scholastici terminos egrediebatur (Ptol. II 12), et pandura recentissima (Gevaert II 242), Graecos unquam divisis chordis plures singulis sonos elicuisse. iam v. Jan (de fid. Gr. p. 39) contra Driebergium monuit huius artificii non exstare vestigia. exstarent sane, si vera esset Spaldingii sententia (ad Quintil. I 12,3). etenim Quintilianus de citharoedis psallentibus dicit: ‚alios nervos dextra percurrunt, alios laeva trahunt continent praebent', quo loco Spalding ‚praebere nervos' interpretatur: ‚laxare, totos dare, exhibere quales et quanti sunt, nulla digitorum compressione mutare sonum eorum'. at continere potest dici, qui tangenda chorda soni tenorem praecidit, praebere, qui digitum rursus amovet. utrumque laeva faciebant, qua praeterea psallebant (hoc sibi vult ‚trahere', cf. anecd. Studemund I 229 ‚*ἀντισπᾶν οἱ ῥυθμικοὶ τὸ τὰς χορδὰς κρούειν φασί*), cum dextra plectron tenerent, quo chordas percutiebant (optime Spaldingii editio exhibet ‚percutiunt', incertum an ex ipsius coniectura; ‚percurrunt'

nulla lectionis varietate indicata apud Halmium legitur, quod minus apte trahendo opponitur); itaque de diversis eiusdem chordae sonis ne hic quidem licet cogitare.

Quod si quaerimus, quonam alio modo tibias psallendo aequare potuerint, fortasse eiusdem soni celerrima repetitione unius et continui soni, quales tibiae edunt, similitudo efficiebatur, neque ita diversa erat haec psallendi ratio a teretismo, quem Bryennius et Anonymus describunt. quod si statuamus, Photii explicatio ‚*νιγλαρεύων τερετίζων*' optime cum artis vocabulis consentiat. sed utut *νιγλάρους* interpretandos censes, artificium fidicinum indicant, cui teretismatis nomen illo certe latiore sensu supra indicato, quo omnem effeminatam musicam significat, indi poterat. nam tibiarum artificiosam imitationem artissime coniunctam fuisse cum augescente modorum mollitie consentaneum est; de qua cum quererentur veteris severitatis amantes, ipsas tibias detestabantur.

Optime igitur inter se concinunt, quae Photius attulit. quod si *νίγλαροι* ab eo dicuntur *κρουματικῆς διαλέκτου ὄνομα*, illud ostendimus hominum voces hic non respici, nec minus apparet de ea dialecto crumatica, quam Westphal sibi finxit, cogitari omnino non posse; sed singularis sonos instrumento eliciendi modus vel ea quasi vocis indoles, quam artificio quodam fides accipiunt, hoc nomine significatur.

Iam redeundum est ad Plutarchi de musica libellum, in cuius capite 36 dialectus auletae commemoratur. hic locus mendo laborat, quo quantopere sententiarum conexus perturbetur, vel ex Westphali interpretationis nimia obscuritate cognoscitur. itaque hoc primum Plutarchi locus purgandus est. Aristoxenus c. 32, 2 dixerat, cum tres essent partes musicae (scil. harmonica rythmica metrica, cf. Plut. de mus. ed. Westph. p. 11), musicum debere peritum esse *καὶ τῆς τούτοις χρωμένης ποιήσεως καὶ τῆς ἑρμηνείας τῆς τὰ πεποιημένα παραδιδούσης*[1]). c. 36 negat Aristoxenus partium quae ferantur artis musicae peritiam sufficere ad iudicandam musicam. *Δι' ἃς δ' αἰτίας οὐχ οἷόν τ'*

1) cf. musicae practicae *χρηστικόν* et *ἐξαγγελτικὸν μέρος* Ar. Quint. I 8, vel *ἕξιν πρακτικὴν καὶ ποιητικὴν* Anon. Bell.

ἐξ αὐτῶν τούτων γενέσθαι κριτικόν, πειρατέον καταμαθεῖν· πρῶτον ἐκ τοῦ ἡμῖν ὑποκεῖσθαι τὰ μὲν τῶν κρινομένων τέλεια, τὰ δ' ἀτελῆ. haec obscurius dicta sunt, sed quid sibi velint, sequentia docent. dicendum erat: ‚primum quia, cum et *τέλεια* et *ἀτελῆ* iudicanda sint, istarum rerum peritus *ἀτελῆ* tantum potest iudicare, non *τέλεια*'. iam *τέλεια* in duas partes dividuntur 1) *αὐτό τε τῶν ποιημάτων ἕκαστον οἷον τὸ ᾀδόμενον ἢ αὐλούμενον ἢ κιθαριζόμενον ἢ* 2) *ἡ ἑκάστου αὐτῶν ἑρμηνεία οἷον ἥ τ' αὔλησις καὶ ἡ ᾠδὴ καὶ τὰ λοιπὰ τῶν τοιούτων.* haec est eadem divisio, quam ex c. 32 supra exhibuimus. pergitur: *ἀτελῆ δὲ τὰ πρὸς ταῦτα συντείνοντα καὶ τὰ τούτων ἕνεκα γινόμενα· τοιαῦτα δὲ τὰ μέρη τῆς ἑρμηνείας* — iam exspectamus ut chiasmus perficiatur et quarto loco *τὰ μέρη τῆς ποιήσεως* afferantur. sed quae sequuntur: ‚*Δεύτερον ἐκ τῆς ποιήσεως· ὡςαύτως γὰρ καὶ αὐτή*', non solum mutila, sed etiam perversa sunt. nam qui scripsit: ‚*Δεύτερον ἐκ*', haec respondere voluit antecedenti: ‚*πρῶτον ἐκ*'. sed *πρῶτον* ad totam illam in *τέλεια* et *ἀτελῆ* distributionem pertinet, cui rursus subiecta est *ποιήσεως* et *ἑρμηνείας* distinctio; itaque *ποιήσεως* mentio non potest voce ‚*δεύτερον*' annecti. quae Westphal (p. 57) exhibet: ‚Wir ersehen das erstens daraus, dass dasjenige, was unserm musikalischen Urteile vorgeführt wird, teils Selbstzweck, teils Mittel zum Zweck ist. Selbstzweck ist einerseits jede Composition .... andrerseits die . . . Kunst des Virtuosen .... Wir ersehen es zweitens aus der Compositionskunst, denn mit dieser verhält es sich ebenso' haec sensu carent. sequuntur apud Plutarchum: *ὑποκρίνειε γὰρ ἄν τις ἀκούων αὐλητοῦ, πότερόν ποτε συμφωνοῦσιν οἱ αὐλοὶ ἢ οὔ καὶ πότερον ἡ διάλεκτος σαφὴς ἢ τοὐναντίον· τούτων δ' ἕκαστόν ἐστι μέρος τῆς αὐλητικῆς ἑρμηνείας* etc., quae cum antecedentibus: ‚*τοιαῦτα δὲ τὰ μέρη τῆς ἑρμηνείας*' artissime cohaerere ultima verba docent. docemur deinde non satis esse de his partibus singulis iudicium fieri, sed totum *ἑρμηνείας ἦθος* iudicandum esse. desideramus adhuc quartam partem de *ποιήσεως* partibus. quarum mentio in extremis capitis verbis inest: ‚*Ὁ αὐτὸς δὲ λόγος καὶ ἐπὶ τῶν παθῶν τῶν ὑπὸ τῆς ποιητικῆς σημαινομένων ἐν τοῖς ποιήμασιν*'. i. e. etiam *πάθη*, quae poeta ipse modis (*ποιήμασιν* cf. Westphal p. 67) suis inesse

voluit (i. e. σημαίνει, nam poeta πάθη quasi designat, non ipse exprimit, id quod canentis est), satis non est singula iudicari, sed totum ποιήσεως ἦθος respiciendum est. mira sunt, quae apud Westphalium (p. 57) legimus: ‚Dasselbe gilt auch von den Fehlern, welche von der Compositionskunst beim Niederschreiben in den Musikstücken begangen werden'. equidem confiteor me neque quid haec sibi velint neque quomodo cum ceteris cohaereant, intellegere. (quae tradita sunt his se interpretari voluisse Westphal in libro, quem de Aristoxeno a. 1883 scripsit, p. 472 indicat; eodem loco dubitare se profitetur de interpretatione sua, meliorem tamen nondum invenisse.) sana omnia sunt, dummodo ‚Δεύτερον ἐκ τῆς ποιήσεως· ὡςαύτως γὰρ καὶ αὐτή' interpolatori reddamus. qui quidem ποιήσεως mentionem post μέρη ἑρμηνείας desideravit neque sensit extremo capite eam praestari; iure idem mirabatur, quod Πρῶτον μὲν Δεύτερον nullum habet, quod ei respondeat; quod vero invento suo utrique malo mederi sibi visus est, stulte fecit. nam Πρῶτον illud non modo per totum caput 36, sed usque ad finem capitis 33 (quod Westphal probabili ratione post c. 36 ponit) pertinet neque Δεύτερον quidquam fingi potest, quod argumentationi desit. omnino quae c. 36, 3 dicuntur: ‚artis musicae peritum non esse criticum inde cognosci, quod in musica et de perfectis et de imperfectis iudicetur' tam inscite dicta sunt, ut non dubitem quin res sola Aristoxeno, annectendi formula tota eius, qui libellum conscripsit, pinguiori ingenio debeatur.

Commemoratis igitur partibus ἑρμηνείας statim, quae sint, his explicatur: ὑποκρίνειεν ἄν τις ἀκούων αὐλητοῦ πότερόν ποτε συμφωνοῦσιν οἱ αὐλοὶ ἢ οὔ καὶ πότερον ἡ διάλεκτος σαφὴς ἢ τοὐναντίον. Volkmann αὐλῳδοῦ et in sequentibus αὐλῳδικῆς scripsit. συμφωνεῖν enim de tibiis cum canentis voce consonantibus interpretandum censet et διάλεκτον canentis pronuntiationem intelligit. Guhrauer (Jahrb. 1880, 696) eum sequitur et in novissimo quoque libello (p. 188. 186) prorsus negat fieri posse, ut aliter de hoc loco iudicemus. sed praeter duplam traditorum verborum mutationem obscurum dicendi genus illa interpretatione huic loco obtruditur. nam et ad συμφωνεῖν dativus τῷ ᾄδοντι addi debebat, quia συμφωνεῖν absolute

positum nemo non intelligit de rebus ‚inter se' consonantibus' et ad *διάλεκτος* genetivus *τούτου* vel *τοῦ ᾄδοντος*, ut intelligamus de duabus personis verba fieri; etenim *τὸ συμφωνεῖν τοὺς αὐλούς*, etiamsi Guhrauerum sequamur, tibicinis meritum est, non aulodi; alioqui dictum esset *πότερον συμφωνεῖ τοῖς αὐλοῖς.*

Neque autem ulla causa est, cur in tradita lectione offendamus. *συμφωνίαν* enim quominus ad *ψιλὴν αὔλησιν* referamus nihil obstare recte v. Jan (Jahrb. 1881, 543 sq.) monet; neque enim solius fabri arte effici, ut duo unius tibiae calami inter se consonent, nisi inflandi quoque dexteritas accedat. atque consonantiam sonorum in tibicinis virtutibus nulla cantus adiuncti ratione habita numeratam esse confirmare licet Alcaei cuiusdam epigrammate (Anth. Plan. 7), ubi tibicen laudatur ‚*σύμφωνον μαλακοῖσι κερασσάμενος θρόον αὐλοῖς*'. neque enim *κεράννυται* consonantiam, qui aliis consone accinit. nec minus haec sententia confirmatur Dionysii Halic. loco (de c. v. p. 55 R.), qui narrat saepe et citharisten explosum esse a multitudine, quia unam tantum chordam *ἀσύμφωνον* pulsasset, et auletam quamvis habilem, *ὅτι σομφὸν*[1]) *ἐμπνεύσας ἢ μὴ πιέσας τὸ στόμα θρυλιγμὸν ἢ τὴν καλουμένην ἐκμέλειαν ηὔλησε.* nam qui poterat *ἐκμέλειαν αὐλεῖν*, in eo consonantia quoque tibiarum servata notari et laudari debebat.

Praeterea his perspicuum fit, quae sit *διάλεκτος* auletae. vocem *σομφὴν* sicut *φαιὰν* mediam esse inter *λευκὴν* et *μέλαιναν* Aristoteles Top. 1, 15 testatur. itaque ravum quoddam inflandi genus, quo soni nec puri (*λευκοί*) nec molesti cuiusdam strepitus (*θρυλιγμοῦ*) expertes nascebantur, Dionysius *σομφὸν* appellare videtur. hoc vitium illustratur virtute ei fere contraria, quam apud Philostratum Apollonius Tyaneus (p. 181 Kays.) describit. *εὔπνοιαν* enim ille a tibicine praestari dicit, *ἢν τορὸν καὶ λευκὸν ᾖ τὸ πνεῦμα καὶ μὴ ἐπικτυπῇ ἡ φάρυγξ, τουτὶ γὰρ ἔοικε φθόγγῳ ἀμούσῳ.* de aliis quoque tibicinum vitiis comperimus;

---

1) sic Goeller optimum codicem secutus exhibet pro ‚*ἀσύμφωνον*', quod e superioribus verbis male repetitum ap. Reiskium et Schaeferum exstat.

velut Athenaeus refert *χηνίζειν* dici *ἐπὶ τῶν αὐλούντων* laudatque Diphili versum e Synoride (frg. 5 Mein.) '*Ἐχήνισας. B. ποιοῦσι τοῦτο πάντες οἱ παρὰ Τιμοθέῳ*' quibus ex verbis suspicari licet emissi spiritus strepitum anserum stridoris similem consulto quosdam edere solitos esse. confirmatur hoc eis, quae Ambros (hist. mus. vol. I p. 275) narrat, in nonnullis orientis tibiarum generibus sibilum quendam ad ipsos sonos accedentem tamquam praecipuum suavitatis adiumentum affectari; quae consuetudo ipsi videtur inde a veterum memoria manere. eiusmodi autem vitiis si qui auleta abstinebat et id curabat, ut sonos puros et distinctos proferret, eius nimirum *διάλεκτος σαφής* laudabatur.

Restat, ut eum locum tractemus, qui primus huius quaestionis movendae ansam dabat, Plutarchi de mus. c. 21, 4. veteris musicae laudator ibi dicit, si quis eam cum recentiore ingenue comparet, *εὕροι ἂν ἐν χρήσει οὖσαν καὶ τότε τὴν ποικιλίαν. τῇ γὰρ περὶ τὰς ῥυθμοποιΐας ποικιλίᾳ οὔσῃ ποικιλωτέρᾳ ἐχρήσαντο οἱ παλαιοί. οἱ μὲν γὰρ νῦν φιλομαθεῖς* (*φιλόμυθοι* Volkm., *φιλότονοι* Wph., fort. *φιλομελεῖς*?) *οἱ δὲ τότε φιλόρρυθμοι. ἐτίμων γοῦν τὴν ῥυθμικὴν ποικιλίαν. καὶ τὰ περὶ τὰς κρουματικὰς δὲ διαλέκτους τότε ποικιλώτερα ἦν* (hunc enuntiatorum ordinem — verba '*οἱ μὲν γὰρ νῦν*' sq. in codicibus post '*ποικιλώτερα ἦν*' exstant — Westphal in interpret. p. 48 restituit). quod veterum rythmi recentioribus praeferuntur, sane iudicantis esse etiam nos comparati Aeschyli cum Euripidis rythmis docent; mirum vero est, quod etiam *διάλεκτοι* instrumentales veteris illius aetatis recentiores varietate superasse dicuntur, cum tot testimoniis probari possit psallendi vel tibiis canendi varias artes — hae enim sunt *διάλεκτοι*, non ipsae melodiae, quas praeferre veterum amantes consentaneum erat — non nisi inclinata veteris musicae severitate exstitisse. accedit quod parum congruenter, ut demonstretur *καὶ τότε* varietatem fuisse, ea tantum commemorantur, quae varietate superiora fuerint; neque particulis '*καὶ — δέ*' alter comparativus commode annectitur. equidem mihi persuadeo hunc comparativum utpote ex superiore *ποικιλωτέρᾳ* ortum ferendum non esse, sed scri-

bendum: *καὶ τὰ περὶ τὰς κρουσματικὰς δὲ διαλέκτους τότε ποικίλα ἦν*, ut totius loci sententia haec sit: ‚varietas tunc quoque fuit. nam in rythmis quidem etiam maiorem quam nunc fuisse inter omnes constat: nunc enim modis magis quam rythmis operam dant; sed ne modi quidem ea varietate, qua recentior musica maxime excellit, prorsus carebant neque tam rudes atque vacui sonos eliciendi artibus erant, quam huius defensores opinantur'.

II. De Pindari re musica.

Multa sunt in vetere musica, quae scire multo magis nostra interest, quam ea, in quibus scriptores rei musicae maximam operam posuerunt. v. gr. qualia quoque tempore et quot instrumenta ad choros adhibita sint, quonam modo chori magister huius et saltationi et cantui praeierit, ne uno quidem verbo produnt. ipsorum autem poematum, quae cognoscere cupimus, tertia cuiusque pars mansit, ceterae duae, modi et saltatio, prorsus deperierunt. attamen tam artis haec tria vinculis inter se constricta sunt, ut excutiendis verbis ad tota poemata cognoscenda nonnihil adiuvemur. nullus autem poetarum tam saepe ac libenter de modis suis verba facit quam Pindarus; cuius de re musica testimonia in tanta testium penuria quam accuratissime perquirere eo magis operae pretium est, quod qui adhuc his locis ad confirmandas suas de re musica sententias usi sunt, universi eius loquendi generis non satis rationem habere solebant.

Videamus primum de instrumentis. Pindarus nonnullis locis citharae cantum cum carminibus suis coniunctum commemorat, aliis tibiam, aliis denique tibiae fidiumque concentum. quibus locis nixus Gevaert (II 471) Pindari carmina in tres partes distribuenda censet, quas ut hoc modo distingueret, vel loci temporisve condicione vel ipsa carminum indole Pindarum adductum esse opinatur; orationis enim sublimitate et rerum gravitate ea excellere, ubi fidium tantum mentio fiat, O. 1 (v. 18), O. 2 (1), O. 9 (13), P. 1 (1 sq.), P. 2 (69), P. 8 (31), N. 4 (5. 44), N. 10 (22). tibia sola O. 5 (19) commemoratur; Gevaert ad O. 14 quoque solas tibias additas putat (videlicet quia hoc carmine Orchomenos, tibiarum fertilissima parens, celebratur) et ad N. 2 (nescio qua de causa); utriusque denique instrumenti

mentionem fieri O. 3 (8), O. 6 (?), O. 7 (12), N. 3 (12. 79), N. 9 (8), J. 4 (27) (addendum erat O. 10, 94).

Haec Gevaert conficit, quasi Pindarus didascaliarum fidem aequare studuerit; at Pindarus quantopere carminibus suis veram canendi ea formam neglexerit, prope mirum est. etenim loquendi modo plerumque utitur temporis diu praeteriti proprio, quo nullum carmen non idem et fecit et cecinit sonosque instrumenti ipse solus adhibuit. hinc explicandum, quod interdum se praesentem fingit, quoniam *ἀοιδοί* illi vetustissimi non poterant quemquam nisi praesentes celebrare; re vera Pindarum agendo carmini affuisse ex eiusmodi locis nunquam licet pro certo affirmare; cf. P. 2, ubi verborum: ‚*ὦ Συρακόσαι, ... ὔμμιν τόδε τᾶν λιπαρᾶν ἀπὸ Θηβᾶν φέρων μέλος ἔρχομαι* (v. 4)' translatam vim ostendit v. 68: ‚*τόδε μὲν .... μέλος ὑπὲρ πολιᾶς ἁλὸς πέμπεται*'. eodem omnes ei loci referendi sunt, quibus se voces edere profitetur (cf. O. 11, 14. 10, 79. 13, 50. P. 9, 3) sive aoedi sive praeconis (cf. O. 5, 8. N. 4, 74) partes se agere fingit. quod si quis contendat eiusmodi locis Pindarum verum suum ut coryphaei cantum significare, is O. 9, 109, ubi Pindarus se ipse admonet: ‚*ὄρθιον ὤρυσαι*', vix poterit explicare. nam cum Homerus *ὄρθια ἄϋσαι* de ingenti clamore dicat, quomodo Pindarus simillimis verbis modos suos significare potuit? sunt sane quaedam verba quae et clamores et lenissimum quodque vocis genus significant. nota est *βοά*, quae etiam susurris ab Euripide (Or. 148), lyrae sonis ab ipso Pindaro tribuitur (P. 10, 39); *κλάζειν* Homero strepitum significat, Alcmani Musa *κέκλαγε* (frg. 7)[1]).

---

1) item *κεκραγέναι* de omni cantu dicitur Ar. probl. XI 22, *κραυγάζειν* de citharoedis et tragoedis a Galeno (VIII 281 Kühn), *κραυγαί* de vocis exercitatione a Plutarcho (Sympos. VI 1, 1, 5), cf. Bekk. an. I 5 *ἀνακραγεῖν = πρὸ τοῦ ἀγῶνος ἀσκεῖν τὴν φωνήν*. quin etiam mollissimum Ibyci carmen (frg. 1) Athenaeus his verbis: ‚*ὁ Ἴβυκος βοᾷ καὶ κέκραγεν*' inducit (eisdem hierophantae cantum Origenes affert, carm. pop. 10). sed hic usus non modo ab Atticorum prosa oratione alienus erat (Phrynichus *κραυγάζειν* pro *καλεῖν* aeque vituperat atque *ἐρεύγεσθαι* de sermone usurpatum), sed etiam Dionysium Chalkun poetam Aristoteles (rhet. III 2) reprehendit, quia poesim *κραυγὴν Καλλιόπης* appellavit (frg. 7 Bergk); quamquam ne Euripides quidem (El. 695) chori cantum *κραυγήν* vocare veritus erat.

ut Pindarum cantum suum cum ululatu comparasse credam, hisce exemplis non adducor; at vero si meminerimus, quantam praecones in vocis ingenti magnitudine assequenda operam posuerint, non in eo offendemus, quod Pindarus praeconis, qui recentem victoriam coronae nuntiet, personam agens se dicit *ὠρύεσθαι.* victoriae nuntium etiam P. 2, 4. 9. 2. N. 6, 66 agit, quos locos non magis licet proprie accipere.

Lübbert (Melet. de Pind. nom. Terp. im. Ind. lect. Bonn 1885 p. 25) opinatur, quod Pindarus sic loqui soleat, quasi ipse dicat, quae chorus profert, inde explicandum esse, quod nomi semper ante Timotheum sine chori ope solius citharoedi voce cantati sint; quod eis relinquendum, qui adhuc credunt aliquam rationem inter nomos et Pindari carmina intercedere. non citharoedo nomico, sed aetatis epicae aoedo se Pindarus comparat. cum se iubet phormingem de clavo demere (O. 1, 18), Demodoci recordamur, cuius supra caput lyra de clavo pendebat (od. 8, 67). quamquam hic quidem credat aliquis Pindarum re vera citharam pulsantem choro praefuisse. translata autem huiusmodi dictionis vis O 9, 13 manifesta est. ibi sese vocat *ἀνδρὸς ἀμφὶ παλαίσμασιν φόρμιγγ' ἐλελίζοντα.* *φόρμιγγα ἐλελίζειν* totum carmen eiusque argumentum complectitur, ut additum *ἀμφὶ παλ.* docet; qua figura is uti potest, qui totum ipse profert, cum simul pulsat, aut fingit saltem hunc canendi modum, non is, qui ad chorum canentem fidium cantum adhibet. perinde iudicandum de N. 4, 44: ‚*ἐξύφαινε, γλυκεῖα, καὶ τόδ' αὐτίκα, φόρμιγξ, ... μέλος*'. de modis cogitari nequit, quippe qui iam sextum hoc loco repetantur (cf. Dion. Hal. de c. v. 19), sed de argumento eorum, quae sequuntur, novum illud *μέλος* intelligendum est. postulare autem a cithara, ut novi aliquid proferat, is tantum potest, qui fidibus praeludendo animum suum ad ea, quae porro dicenda sunt, excitat; perinde apud poetas bucolicos, quia pastores fistulae sonos inter carminis partes interponebant, ut de sequentibus meditari possent, ab ipsa fistula versus prodire dicuntur (cf. Verg. ecl. 10, 34. 1, 2. 5. Voss ad ecl. 8, 21)[1]. Pindarus igitur eum agit, qui versus ex tempore

1) Quod Horatio Alcaeus ‚mala belli plectro sonat' (c. 2, 13, 26), plectri eaedem partes sunt ac fistulae apud pastores, nam plectro in vocis

fundat, qualis canendi modus quam diversissimus est a vera carminum eius indole. aoedum autem ubi agebat, non poterat nisi fides commemorare. simili de causa, ubi artis musicae maiestas deorum audientium coetu depingendo illustranda erat (Pyth. 1, 1 sq.), solius phormingis mentio fieri poterat, quia haec imago ab epicae aetatis poetis profecta est, qui suorum temporum consuetudinem in Olympum deferebant. tibiarum concentum hanc ob causam a magnifico illo Pindari carmine alienum iudicare merae temeritatis est.

Semotis autem huius generis locis haud pauci restant, quibus vera carminum indoles respicitur. velut O. 3, 8 *φόρμιγγά τε ποικιλόγαρυν καὶ βοὰν αὐλῶν ἐπέων τε θέσιν συμμίσγειν* sese Pindarus profitetur. ad O. 3 igitur ambo instrumentorum genera consonuerunt [1]. sed ne huiusmodi quidem locis inde, quod alterius tantum mentio fiat, ullo iure concludi posse alterum afuisse ex N 3 efficias, ubi v. 11 legimus: ‚*ὕμνον νεανιῶν ὀάροις λύρᾳ τε κοινάσομαι*', v. 76 autem: ‚*ἐγὼ τόδε πέμπω — πόμ' ἀοίδιμον Αἰολῇσιν ἐν πνοαῖσιν αὐλῶν*'. neque enim consulto Pindarus instrumentorum commemorationem ita diremisse existimandus est, ut collati demum loci accuratum testimonium efficerent, sed mero casu inter se supplent. itaque quae Gevaert statuit discrimina nihili sunt neque, si quis credat nulli Pindari carmini non et fides et tibias additas esse, ipsa Pindari verba contra hanc sententiam afferri possunt.

Immo in epiniciis quidem non singularem, sed sollemnem fuisse instrumentorum coniunctorum usum ex eis colligas, quae O. 7, 11 sq. non de uno hoc carmine, sed de universa victorum laude praedicantur: ‚*ἄλλοτε δ' ἄλλον ἐποπτεύει χάρις ζωθάλμιος ἁδυμελεῖ | θάμα μὲν φόρμιγγι παμφώνοισί τ' ἐν ἔντεσιν αὐλῶν*' [2].

---

silentiis tantum videntur usi esse. cf. v. Jan Progr. Saargemünd 1882 p. 13. id. Verh. d. Zür. Phil. vers. Leipz. 1887 p. 79.

1) nescio quo iure v. Jan (Verh. d. Zür. Phil. vers. p. 89) contendat abhorruisse Graecos a diversorum instrumentorum cencentu.

2) etenim totum hoc initium in universa epiniciorum poesi versatur, ad causam praesentem v. 13 demum verbis ‚*καὶ νῦν*' transitur. quod quominus accurate cognoscatur, obest vox ‚*πέμπων*' v. 8. Dissen adnotat: ‚non semper missa esse carmina, sed interdum etiam ipsum affuisse Pin-

neque fortasse casu in Euripidis Herc. fur. v. 683 chorus se epinicio Herculem celebrare dicit *παρά τε χέλυος ἑπτατόνου μολπὰν καὶ Λίβυν αὐλόν*.

Quod Didymo teste ad certa carminum genera alterutrum instrumentum postulabatur (Christ. Metr. p. 673), Pindarum generum terminos adeo neglexisse, ut multis eius carminibus ista εἰδῶν distinctio ad irritum redigeretur, et ex veterum controversiis colligimus (cf. praef. schol. Pyth. 2) et ipsi e nonnullis carminibus, quae propter meram collocandi difficultatem epiniciis addita sunt, iudicare possumus. Plato (Leg. III 700 D) de eis queritur, qui *κεραννύντες θρήνους τε ὕμνοις καὶ παίωνας διθυράμβοις .... καὶ πάντα ἐς πάντα ξυνάγοντες* initium *παρανομίας* fecerint; cuius depravationis — vel potius processus, ne cum Platone de his rebus parum libere iudicante faciamus — prima vestigia apud Pindarum exstant, quem et in metris et in carminum argumentis distincta antea miscuisse apparet. novis

---

darum constat. Cur igitur *πέμπων* dicit in sententia generali? nempe hoc nostrum carmen missum est et sententia generalis more Pindarico statim e re praesenti colorem ducit seu, quod malim dicere, res praesens mutatur in formam generalem'. at quod maxime offendit, Disseni ratione non tollitur; nam languidum est in media imagine poetica audientes admoneri carmina interdum scripta mitti. quid *πέμπειν* hic sibi velit, Dionysius Chalkus docet frg. 1:

Ὦ Θεόδωρε, δέχου τήνδε προπινομένην
τὴν ἀπ' ἐμοῦ ποίησιν. ἐγὼ δ' ἐπιδέξια πέμπω
*σοὶ πρώτῳ *χαρίτων ἐγκεράσας χάριτας*
καὶ σὺ λαβὼν τόδε δῶρον ἀοιδὰς ἀντιπρόπιθι
συμπόσιον κοσμῶν καὶ τὸ σὸν εὖ θέμενος.

Pindari locus videtur animo eius observatus esse (cf. *συμποσίου τε χάριν κῦδός τε τιμάσαις ἑόν* Pind. v. 5); *πέμπειν* idem esse ac *προπίνειν* (i. e. donare cf. interpr. Pind.) composito verbo *ἀντιπρόπιθι* ostendit; apud Pindarum autem eadem verba inter se respondent: *Φιάλαν ὡς εἴ τις . . . δωρήσεται . . . προπίνων . . ., καὶ ἐγὼ . . . νέκταρ . . . πέμπων . . . ἱλάσκομαι.* (cf Critiae frg. 7, 6: *ἔστ' ἂν ὕδωρ οἴνῳ συμμιγνύμενον κυλίκεσσιν παῖς διαπομπεύῃ προπόσεις ἐπιδέξια νωμῶν*). vides iniuria Mezgerum p. 438 dicere absente poeta hoc carmen cantatum esse: num fuerit Rhodi Pindarus, plane ignoramus. nec magis licet ex N. 3, 76: *'ἐγὼ τόδε τοι πέμπω μεμιγμένον μέλι λευκῷ σὺν γάλακτι'* absentiam Pindari efficere, nam 'propino tibi hoc carmen' poterat vel praesens vel absens dicere.

Pindarum rebus in arte musica studuisse vel inde colligas, quod saepissime ingenii sui licentiam contra eos defendit, qui neglectos *τεθμούς* ei exprobrabant. quae igitur causa esse potuit, cur, qui diversorum *εἰδῶν* indolem suo arbitrio miscere in carminibus non vereretur, is tibias cum citharis ad sonitus quam grandissimos efficiendos, ubicumque liceret, praesertim in regum aedibus et magnifico apparatu, nollet coniungere? in tragoediarum et comoediarum singulis partibus angustioribus finibus quam apud lyricos poetas instrumentorum usus circumscriptus fuisse videtur (cf. Christ. l. l.); nam chori scaenici carmina a populari cuiusque generis indole et a vetustissimis exemplis multo propius aberant (cf. v. gr. de threnis Westphal. Metr. II³ 19). Pindari musa huiusmodi terminos non curat et, ut rythmi, ita modi a prisca simplicitate diversissimi fuisse videntur; unde minime efficitur effeminati quidquam in eis fuisse; sed ipse Aristoxenus, qui strenuam ac severam Pindari artem praedicat, eis obloquitur, qui varietatem a veterum crumasin alienam iudicabant (Plat. de mus. 21 v. p. 36).

Quod novandi audiacia Pindarus offendebat, Lasi discipulum agnoscimus. quamobrem ne hoc quidem pro certo affirmare ausim Pindarum, quamvis plurium chordarum instrumenta illa aetate non deessent, ipsum tamen heptachordis solis usum esse (Westph. II³ 85. 42). quod Westphal duobus Pindari locis probari putat, N. 5, 24 et P. 2, 71. sed N. 5 Apollo dicitur *φόρμιγγα ἑπτάγλωσσον πλάκτρῳ διώκων*, Apollinem autem non nisi septem fidibus cecinisse nemo nescit. restat P. 2, 71: *τὸ Καστόρειον δ' ἐν Αἰολίδεσσι χορδαῖς θέλων ἄθρησον χάριν ἑπτακτύπου φόρμιγγος ἀντόμενος.* his suum carmen Pindarus significat, sed supra vidimus eum saepe in his rebus loquendi genere uti aetatis multo vetustioris proprio. profecto si veteres quoque credidissent epiniciorum poetis non licuisse nisi heptachordis uti, vix potuit Theocritus (XVI 45) Simonidem laude sempiterna Aleuadas et Scopadas donantem *„δεινὸν αἰόλα φωνεῖν βάρβιτον ἐς πολύχορδον“* appellare. nam epinicia respici v. 46 docet; quod barbiton illis tribuitur, aucto chordarum numero cithara barbiti similior evasit neque Theocritus reprehendendus, quod barbiton omnis polychordi instrumenti nomen duxit, cum omnino

his nominibus nihil magis ambiguum esset; heptachordum tamen a Theocrito nego unquam potuisse *βάρβιτον πολύχορδον* dici. quoniam vero vel ante Theocriti tempora fuerunt, qui in re musica veterum investiganda operam ponerent, neque poeta Alexandrinus committebat, ut indocte quidquam proferret, iure hoc concludere mihi videor ne illis quidem temporibus de translata huiusmodi apud lyricos dictionis vi homines doctos dubitasse. sed difficillima omnis de numero chordarum quaestio est. fortasse polychordiae odium Platonis demum somniis, qui non in sola re musica obsoleta adamavit, vel omnino illius temporis philosophis debetur, qui vetustissimi cuiusdam status imaginem mente conceptam solebant amplexari. nam quae Pherecrates (Plut. de mus. c. 30) de Melanippide et Timotheo dicit: ‚*χαλαρωτέραν ἐποίησε* (scil. *τὴν Μουσικήν*) *χορδαῖς δώδεκα*' et ‚*ἀνέλυσε χορδαῖς δώδεκα*', explicatione adhuc egent (sicut obscurissima de Phrynide verba: ‚*ἐν πέντε χορδαῖς δώδεχ' ἁρμονίας ἔχων*'); propterea eos vituperari, quod duodenarum chordarum citharis usi sint, non credo. recentiore autem tempore effeminatam musicae mollitiem (quam a Melanippide eisque, qui cum hoc fuerunt, iam aequales repetebant) et chordarum plus septem usum non destinguebant; unde ista de Timotheo fabula oriri potuit, quae in Aristoxeni doctrinam male irrepsit apud Plut. de mus. c. 30 (v. supra). Aristoxenum vero quamvis polychordiae taedio non vacuum de initiis eius meliora edoctum esse ex ipso illo Plutarchi loco supra collegimus.

Alia statim comparatis eis, quos supra enumeravimus, Pindari locis quaestio oritur. etenim Pindarus modo singulari numero citharam et tibiam affert (O. 10, 94. N. 9, 8), modo plurali utramque (J. 5 (4), 27), vel tibias plurali, citharam singulari (O. 3, 8. 7, 12), vel citharas solas plurali (O. 2, 52. P. 1, 97). Croiset (Pindare et les lois du lyrisme grec Paris 1880) huius discriminis admonet p. 93 et dubium esse censet, utrum complures fidicines vel tibicines his carminibus agendis affuerint an pluralis rhetorice positus sit. at vero Pindarus non potuit de Therone dicere: ‚*πρέπει νιν λυρᾶν τυγχανέμεν*'(O. 2, 52), nisi ipsum carmen Olympicum II, quod his verbis respicitur, complures citharas accinentes habuisset. contra quod N. 9, 8 dicit: ‚*ἀλλ' ἀνὰ*

μὲν βρομίαν φόρμιγγ', ἀνὰ δ' αὐλὸν ἐπ' αὐτὰν (scil. *ἀοιδὰν*) *ὄρσομεν*', singularem potius rhetoricum, i. e. collectivum esse, ex singulari *αὐλὸν* elucet; nam *αὐλὸς* semper collective dicitur, quia Graeci — excepto rarissimo monauli usu — non nisi binas tibias coniunctas adhibebant (cf. v. Jan Jahrb. 1879, 582. 1847, 543 sq.). quin etiam, ubi *φόρμιγξ* et *αὐλοί* una commemorantur (O. 3, 8. 7, 12), nihil obstat quominus complures citharas intelligamus, quamquam miretur forsitan aliquis, quod singularem cum plurali coniunctum collective usurpari statuimus. neque enim desunt loci plane similes. Eur. Alc. 430 Admetus edicit: ‚*αὐλῶν δὲ μὴ κατ' ἄστυ, μὴ λύρας κτύπος ἔστω σελήνας δώδεκ' ἐκπληρουμένας*' et ex Ephippi *Ἐμπολῇ* hic versus laudatur: ‚*ἡ 'ν τοῖσιν αὐλοῖς μουσικὴ κἀν τῇ λύρᾳ*' (Mein. com. III 327). utroque loco *λύρα* collective dicitur. tertium eiusdem usus exemplum Philostratus minor imag. 10 (p. 406, 23 Kays.) in scuti Homeri descriptione praebet. apud Homerum enim (Σ 491 sq.), cum compluribus simul urbis locis nuptiae agantur, *πολὺς ὑμέναιος* (collective) oritur et *αὐλοὶ φόρμιγγές τε βοὴν ἔχουσιν*, a Philostrato enumerantur *τὸ τοῦ ὑμεναίου μέλος*, singulari numero ut apud Homerum, tum *ὁ τῶν αὐλῶν ἦχος καὶ ἡ τῆς κιθάρας κροῦσις* — ipse quoque deinde de pluribus nuptiis verba facit (etiam Horatii verba (epod. 9, 5) ‚Sonante mistum tibiis carmen lyra', fortasse ad exemplum Pindari (O. 3, 8) conformata, de compluribus utriusque generis instrumentis interpretari licebit).

Hic usus inde explicandus quod vox ‚*αὐλοί*', cum unum instrumentum duabis tibiis compositum significet, singularis quodammodo vicibus fungitur. hinc epigrammatum duo loci lucem accipiunt. Anth. Pal. XIII 20, 2 legitur: *τέκνον μελαίνας γῆς, χαρίεντας αὐλούς*, ubi Boissonnade iniuria *τέκνον* in *παῖδας* mutandum censuit. ib. IX 340 tibia de se haec loquitur:

Αὐλοὶ τοῦ Φρυγὸς ἔργον Ὑάγνιδος, ἡνίκα μήτηρ
ἱερὰ τὰν Κυβέλοις πρῶτ' ἀνέδειξε θεῶν,
καὶ πρὸς ἐμὸν φώνημα καλὴν ἀπελύσατο χαίτην
ἔκφρων Ἰδαίης ἀμφίπολις θαλάμης.

propter ‚*ἐμόν*' Meineke ‚*αὐλός*' pro *αὐλοί* corrigi voluit. at Dioscorides Hyagnidis tibiam certe non finxit unius calami tibiam, sed duobus compositam. hanc enim ab origine tibiae formam

fuisse consentiunt veteres, sive a Marsya inventam fingunt (cui etiam *φορβειά* tribuitur Plut. Symp. VII 8, 4, 11) sive a Minerva (cf. Pind. P. 12 v. supra; Aristot. Pol. VIII 6: *εὑροῦσαν ἀποβαλεῖν τοὺς αὐλούς*)[1]). collectivus autem singularis usus minime aptus esset, ubi poeta tibiam ipsam ante legentis oculos positam seseque describentem inducit; *ἐπιδεικτικόν* enim epigramma est. non opus est mutatione; nam *αὐλοί*, quia unum instrumentum sunt, unam personam induunt, non duas; itaque ‚*ἐμὸν φώνημα*' dicunt, non ‚*ἡμέτερον*'.

Ex Pindari verbis tantum effecimus, citharas interdum complures fuisse; quominus semper plures fuisse credamus, nihil obstare; de tibicinum numero nihil omnino ex his locis colligitur, cum et *αὐλός* ad complures et *αὐλοί* ad unum referri possint. etiam ‚*ἐν ἔντεσιν αὐλῶν*' O. 7, 12 de una tibia intelligi potest, sicut ‚*τὰ ὄργανα*' apud Melanippidem in Marsyae fragmento et apud Dionys. Hal. de c. v. p. 56 unam tibiam significant. quamobrem non alienum puto circumspicere, quae praeterea de instrumentorum cantui adhibitorum numero tradita sint. ac *φορμίγγων* quidem concentus iam in Scuto Herculis v. 280 commemoratur: ‚*αἱ δ' ὑπὸ φορμίγγων ἄναγον χορὸν ἱμερόεντα*' (Leutsch Metr. p. 361); nam hic de uno choro verba fiunt; contra Il. Σ 495 neque de phormingum inter se neque cum tibiis concentu cogitandum est (v. Bergk hist. litt. II 121). Spartae Hyacinthiis pueros saltantes et cantantes citharas in manibus habuisse, quibus simul omnes psallerent, Polycrates apud Athenaeum (IV 17) narrat; ad eundem morem scolium 19 (Bergk) referendum: ‚*Εἴθε λύρα γενοίμαν* . . . *καί με καλοὶ παῖδες φέροιεν Διονύσιον ἐς χορόν*', item Anacreontis frg. 22: ‚*Σίμαλον εἶδον ἐν χορῷ πηκτίδ' ἔχοντα καλήν*'. tibicinum autem concentum nusquam commemoratum inveni excepto Polybii fragmento ex libro XXX (ap. Athen. XIV c. 4) de L. Anicii ludis triumphalibus; qui locus vel ipse insolitum eum fuisse demonstrat. nam inter cetera multa, quae Anicius

1) Quae e Metrodoro Athenaeus IV 82 narrat: Marsyam invenisse *τὴν σύριγγα καὶ τὸν αὐλόν, τῶν πρότερον ἑνὶ καλάμῳ συριζόντων*, recte in novissima editione corrupta iudicantur. Wilamowitz ‚*τὸν αὐλόν*' delendum censet, Kaibel ‚*τὴν πολυκάλαμον*' post *σύριγγα* restituendum suspicatur; utut est, stridens pastorum stipula (cf. Verg. ecl 3, 27) nihil attinet ad tibiam.

ibi inscitissime et inelegantissime instituisse refertur, memoratu dignum existimat Polybius, quod auletas μετὰ τοῦ χοροῦ αὐλεῖν ἅμα πάντας iusserit. in Scuti loco supra laudato v. 283 αὐλητῆρος unius mentio fit; uno etiam Luciani temporibus iuvenum Lacedaemoniorum canentium et saltantium chorus contentus erat (Luc. de salt. 10); neque dithyrambico choro, quem minime simplicitate praestitisse constat, plures affuerunt (Luc. Harm. 1 cf. Wieseler Gött. Stud. II 1847 p. 607); in chori victoris inscriptione unus auleta nominari solet (Guhrauer Jahrb. 1880, 695, v. Jan, Verh. d. Zür. Phil. vers. p. 83). perinde dramatico choro unum tibicinem accinuisse colligendum ex Demosth. Mid. § 13 (Müller Bühnenaltert. 331): ‚ὑπεσχόμην ἐγὼ χορηγήσειν ἐθελοντὴς καὶ κληρουμένων πρῶτος αἱρεῖσθαι τὸν αὐλητὴν ἔλαχον', et schol. Ar. vesp. 582: ‚ἔθος ἦν ἐν ταῖς ἐξόδοις τῶν τῆς τραγῳδίας χορικῶν προσώπων προηγεῖσθαι αὐλητήν, ὥστε αὐλοῦντα προπέμπειν. nam si qui tibicen praeterea in scaenam prodibat, ad chorum non pertinebat.

Atqui plures auletas Bergk (hist. litt. III 157) contendit Aristophanis Avium choro praeivisse; in eadem opinione est Müller (l. l. 210 adn. 2) et probasse hoc dicit Wieselerum in adversariis ad Ar. Av. (Gött. 1843). dolendum est quod hi viri in re tam singulari non accurate Wieseleri argumenta examinaverunt; futtilissima enim sunt, quamvis multa coacervarit. hoc unum ad confutandam eius opinionem sufficit, quod teretismata (τιοτιο, τοροτιξ etc.) verbis interposita tibiae cantum indicare credit. quid tandem commovisse Aristophanem putavit, ut hunc non notis musicis, sed ratione cum minime commoda tum ad sonos ipsos indicandos omnino non apta significaret? praeterea qui factum esse putat, ut omnium quae supersunt dramatum hoc uno loco instrumentorum soni servarentur? immo omnis musica plane interiit, praeterquam quod ‚αὐλεῖ' interdum vel inter poetae verba vel in scholiis adscriptum invenitur. at ubi homines voce instrumentorum sonos imitantur, litteris scriptae voces horum sonorum similes exstant, velut μυμυ servorum tibias imitantium (Ar. equ. 10) et φλαττοθρατ Euripidis Aeschyli fides irridentis (Ar. ran. 1286 sq.); in Aeschyli cantu ib. 1309 sq. nulla huiusmodi vox invenitur, quoniam illi Aristophanes mu-

lierem instrumento accinentem addebat (v. 1305), videlicet ne nimium de Aeschyli dignitate scurrili ista fidium imitatione detraheret. itaque ex voce τοροτιξ (v. 267) primae quattuor illarum avium, quam Wieseler in auletarum numero habet, tributa pro certissimo efficiendum est hanc avem tibiam rostro non tenuisse. si aves illae pleno et integro choro praecedentes re vera musici fuerunt, potuerunt fidicines esse, quam suspicionem Müller (l. l. p. 136 adn.) movet. (de fidibus in re scaenica cf. Wieseler Gött. Stud. 1847, II, 614. Müller l. l. 192. Bergk hist. litt. III 158). quod Bergk hist. litt. III 157 unum tibicinem neque ad chori cantum neque ad ψιλὴν αὔλησιν suffecisse et schol. vesp. 582 nonnisi ‚brachylogia' quadam unum commemorari contendit, et argumentis caret haec opinio et cum testimoniis supra allatis pugnat. immo tibiae vox satis magna videbatur etiam in chori concentu, cum fidium soni imbecillitatem maiore instrumentorum numero compensare solerent. nam quibus veterum locis singulae citharae choris adhibitae commemorantur, nunquam de universi chori cantu cogitandum est. Od. ϑ 266 Demodocus solus canit, item ἀοιδός Il. Σ 604; Σ 569 puer psallens linum canit, ceteri ἰυγμούς tantum quasi ephymnia addunt cf. Bergk hist. litt. I 352); Α 603 autem et hymn. Ap. Pyth. 11 Musae ἀμειβόμεναι Apollinis citharae accinunt, non iunctis vocibus. ubi autem fidium sonus non solum cum chori cantu, sed etiam cum tibia coniungebatur, prope necessarium erat aucto instrumentorum numero tibiae sonitum aliquo modo aequari. eo igitur adducti sumus, ut φόρμιγγα καὶ αὐλούς O. 3, 8 et O. 7, 12 non citharam cum tibiis, sed citharas cum tibia interpretemur et Pindari epiniciis canendis singulos cuique auletas affuisse credamus, complures autem citharistas; nisi malis statuere ipsos canentes interdum simul et saltasse et fidibus cecinisse.

Ad ipsum chori cantum transeo. etenim quaeritur, utrum ab universo choro tota carmina cantata an, ut in choris scaenicis, solius coryphaei voce aliqua prolata sint. cuius canendi modi etiam testimonium exstare putant. in Mezgeri quidem commentario ad Pind. P. 1 p. 76 legitur primos duos huius odae versus a solo coryphaeo cantatos esse; nam in eo codice ab Athanasio Kirchero invento, qui notas musicas huius initii

contineat (quae quin genuinae sint, non esse cur dubitemus), ad vocem πείθονται (v. 3) adscripta exstare: ‚χορὸς εἰς κιθάραν'. verbis paulo cautioribus Croiset (p. 92) eodem testimonio nisus fortasse stropharum primos quosque versus singulorum voce interdum cantatos esse dicit. meum non est de melodiae istius fide hic disputare. quam accuratissime Westphal (Metr. II² 622 sq.) examinavit et tunc quidem, postquam in utramque partem disputavit, iudicio abstinuit, nunc (II³ XLVI) spuriam iudicat. mira Gevaert (II appendix § 9) excogitavit, ut gravissimas contra fidem eius suspiciones removeret. unum argumentum, quod pro ea Ambros (hist. mus. I 447) attulit, potest alicuius momenti videri: illo enim tempore (ante Alypii editionem a Meibomio factam 1652) nescivisse homines doctos, quosnam sonos notae musicae significarent, neque credi posse mero casu notis musicis ab eo, qui ipse eas non intellegeret, temere coniectis tam pulchros modos exstitisse. etenim praestantiam melodiae Ambros sane quam laudat. at vero postquam Westphal (II³ 218. 222) modos ab Anonymo Bellerm. (§ 97) traditos cum bello carmine populari Suebico comparavit et illius venustate non inferiores iudicavit, nego fieri posse, ut aliquis pauculos sonos quamvis inscite cumulet, quin aliquis rei musicae peritus exsistat, qui eam pulcherrimam melodiam esse contendat [1]).

Quoniam autem spuriam esse melodiam a Kirchero traditam nunquam fortasse certis argumentis poterit demonstrari, in ipsam hanc notulam ‚χορὸς εἰς κιθάραν' inquirere operae pretium est.

1) Anonymus ipse non vituperandus, qui ad exercendam tibicinis manum haec composuit: d e f g | d f e g || d g e f | d e g f || d f g e | d g f e || rythmo iambico nulla varietate distincto. iam Bellermann monuit contineri hoc exemplo omnes sex melodias, quae ternis sonis componi possent. neque hoc satis est: permutationes istae, quas dicunt mathematici, certo quodam ordine afferuntur secundum mathematicam rationem, non musicam elegantiam subtiliter excogitato. nam incipiunt ab e f g, exeunt in g f e; singula metra, cum in g g f f e e exeunt, tria cola efficiunt; cola denique inter se ordine invertendo coniunguntur: f e g — g e f, e g f — f g e. hinc quam certissime sequitur melodiam noluisse prodere, quisquis haec scripserit. nam pulchram non esse non potest demonstrari; quamquam paucos fore confido, qui non iudicent peius nihil tali melodia condi potuisse.

Kircher (Musurg. univ. p. 541) postquam se invenisse hoc musicae specimen narravit, primum notas Graecas exhibet subscriptis verbis Graecis. primis duobus versibus notis vocalibus scriptis titulum praeponit: ‚chorus vocalis', sequentibus tribus, qui notis instrumentalibus exarati sunt, ‚chorus instrumentalis'. proxima pagina totum specimen repetit praeposito titulo: ‚Musica veterum nostris notis musicis tono Lydio expressa'. ibi verbis Graecis praeter antiquas etiam suae aetatis notas addidit, primis autem versibus praescripsit: ‚monophonia sive vox praevia', tertio *χορὸς εἰς κυθάραν* (sic!) chorus ad cytharam'. supra (p. 541) dixerat: ‚vides in hoc specimine duos choros, unum vocalem, quo vox praecedens canonem recitat iuxta notas verbis singulis superscriptas; hunc sequitur chorus alter, qui non erat aliud quam cytharoedus vel auloedus priori *ἀντίστροφος*, qui secundum (sic!) stropham instrumento exhibebat' quid. senserit Kircher, non plane liquet; aut enim chorum dicit, quam nos vocem appellamus (quae et unius esse potest et plurium homophona canentium)[1]), et citharoedum atque hominem assa voce canentem alternis cecinisse credit; aut re vera choros dicit. si ita est, titulum ‚monophonia sive vox praevia' non licet de unius voce intellegere, sed de choro assa voce cantante; alioqui Kircher sibi non constaret. de coryphaei et chori vicibus minime cogitavit, sed dubitasse potius videtur, quid de istis verbis ‚*χορὸς εἰς κιθάραν*' faceret; nam si alicuius momenti existimasset, non altero demum loco exhibuisset, priore omisisset. atque omnino illud totus locus ostendere mihi videtur ab ipso Kirchero neque modos ipsos neque miram istam utroque notarum genere alternis utendi rationem profectam esse; etenim ambigua et quasi fluctuante oratione utitur, ut qui difficultatem nequeat expedire, nolit autem hoc confiteri.

Suspicor equidem totum illud monstrum hoc modo progenitum esse. Pindarus plormingem allocutus de ea v. 3 dicit: ‚*τᾶς ἀκούει μὲν βάσις ἀγλαΐας ἀρχά*'. *βάσιν* scholiasta postquam dubium esse dixit utrum significet *ῥυθμόν* an *χορδῶν* (lege

1) p. 535 veterum musicam dicit ita institutam fuisse, ut u n u s, d u o vel plures alternis c h o r i s concinerent.

ποδῶν, ut paraphrasis exhibet) *κροῦσιν*, deinde explicat '*ὁ τῶν χορευτῶν ῥυθμός*'. de '*ἀγλαΐας ἀρχά*' autem dubitant interpretes, utrum ad *βάσιν* pertineat an intelligendum sit: '*σύ, ὦ κιθάρα, ἀγλαΐας τυγχάνεις ἀρχή*'. videntur ab aliquo, qui posteriorem sententiam sequeretur, verbis '*βάσις, ἀγλαΐας ἀρχά*' glossemata adscripta esse '*χορός*' et '*εἰς κιθάραν*' (scil. *τείνει*) (nisi forte ad '*ἀοιδοὶ σάμασιν*' v. 4 haec glossemata pertinebant). quae aliquis notarum musicarum peritus (non rythmi Pindarici, nam cum unicuique syllabae suam notam daret, voci '*ἀγλαίας*' tres solas reliquit, non quattuor, ut debuit), multis fortasse saeculis ante Kircherum, male coniunxit et, cum modorum indicium putaret, arripuit occasionem qualescunque ementiendi neque secum reputavit, quam perversa ratione propter citharas accinentes cantum ipsum notis instrumentalibus signaret. confirmatur haec suspicio eo, quod '*εἰς κιθάραν*' dicitur, non *πρὸς κιθ*'. nam in prosa oratione sollemni usu ad crumata cum voce coniuncta significanda *πρός* adhibetur, saepe *ὑπό*, raro etiam *ἐν* (cf. Ar. Quint. 2, 91, Ath. XIV 636 B laudatum a Christio p. 676, *ἔναυλον κιθάρισιν*) vel *κατά* (Bryenn. 481: *τὰς χορδὰς κατὰ τὸ μέλος κρούειν*. Anon. Bell. 68: *παρελκυσμὸς μέλους κατὰ τὰς τοῦ ῥητοῦ συλλαβάς*. Ptol. II 12 *κανὼν καταυλούμενος* de monochordo cum tibia), haud raro *περί* (ap. Philodem. de mus. col. XXVII cantibus *καθ' ἑαυτὰ προϊεμένοις* contraria sunt *ᾄσματα περικρονόμενα*, Archilochus Plut. de mus. 28 novos rythmos invenit *καὶ τὴν περὶ ταῦτα κροῦσιν*) [1]); *εἰς* apud Theocritum solum ('*φωνεῖν ἐς βάρβιτον*' XVI 45 v. supra) inveni.

1) Simillimus de melodia cum verbis coniuncta huius praepositionis usus est; *τὰ ἰαμβεῖα περιᾴδονται* ap. Lucian. (de salt. 27), *τὰ ὑπορχήματα* ap. Eustathium (Il. Σ 1166, 47). hinc lucem accipit, quod Plutarchus (de mus. 3) Terpandrum dicit *τοῖς Ὁμήρου ἔπεσι μέλη περιτιθέναι*; quod Volkmann ad melica elementa hexametris circumdata retulit, alii de diversis eiusdem nomi partibus cogitaverunt; recte Susemihl (Jahrb. 1874, 652) ad ipsos *ἐπῶν* modos refert (cf. v. Jan. ib. 1881, 551). *περιτιθέναι* de re non circumiecta, sed artissime iuncta Dionys. Hal. de c. v. p. 131 exhibet: melicis poetis licet *τὰ κῶλα ποικίλως διαιρεῖν, ἄλλοτε ἄλλα μεγέθη καὶ σχήματα αὐτοῖς περιτιθέντας, ἕως ἂν ἀπαρτίσωσι τὴν στροφήν*. cf. paulo supra: non licet mutare *τοὺς περιέχοντας ὅλας τὰς στροφὰς ῥυθμοὺς καὶ ἀντιστροφάς*.

At fuerunt, qui aliis argumentis illud de coryphaeo praecinente testimonium confirmari crederent. parum considerate Boeckh egit, qui (de metr. Pind. p. 267): ‚quod cantus', inquit ‚praeit, ... hoc factum usu antiquo, ut cap. XI demonstravi..... mihi quidem certum est ipsius Pindari hanc esse melodiam, tum quod ex vetere consuetudine, quae inde a Pratinae temporibus obsolevisse paulatim videtur, vox praeit, instrumenta posthac accedunt, tum quod chorus cum citharis tam idoneo loco incipit accinere'. quod si cap. XI evolvimus, Pratinae verba: ‚ὁ δ' αὐλὸς ὕστερον χορευέτω' afferuntur; quasi vero id Pratinas questus sit, quod tibicines vellent praeludia canere. quod autem ad idoneum locum attinet, contrarius potius usus Pindari verbis respicitur; nam προοιμίων ἀμβολάς fidium praeludia significare veri simillimum est. certe, etiamsi cum Boeckhio προοίμια ipsum chori cantum et ἀμβολάς primos citharae sonos cum vocibus coniunctos interpreteris, nunquam tamen προοιμίων ἀναβολαί de fidibus aliquamdiu post hymni initium accinentibus intelligi possunt.

Sed cetera Pindari carmina adeunda sunt. Croiset (p. 92), qui solet de huiusmodi rebus prudentissime iudicare, N. 3,10 laudat, Disseni nimirum sententiam amplexus, qui hoc loco notulae istius testimonium confirmari credit. initio enim huius carminis Pindarus a Musa petit, ut Aeginam se conferat, ubi iuvenum chorus vocem eius exspectet. deinde v. 10 iubet eam incipere hymnum et pergit: ‚ἐγὼ δὲ κείνων τέ νιν (scil. τὸν ὕμνον) ὀάροις λύρᾳ τε κοινάσομαι (κοίν' ἀείσομαι Bergk)'. facere non possum, quin Disseni verba afferam, cum ad recte iudicandam Pindari orationem maximi momenti sint. ‚meo iudicio' inquit (in Boeckhii editione II 2, p. 365) ‚qui dicebat: ego tradam hymnum illorum cantibus et lyrae, etiamtum (v. 11) solus canebat nec nisi post hunc locum accessit chori et lyrae cantus. compara mihi locum O. 1,17: ‚ἀλλὰ Δωρίαν ἀπὸ φόρμιγγα πασσάλου λάμβανε'. inepte ibi dixisset: ‚sume citharam', si iam sonuisset. erunt, qui dicant molestius a nobis premi Pindari verba ...... decepti lectione Horatii similiumque poetarum coepimus talia ubique pro inanibus phrasibus et ornamentis habere .... in his carminibus, quae vere canebantur ....,

inanes eas esse non facile credam, quandoquidem oratio in his quidem rebus non potuit repugnare actioni'. speciosa verba, sed falsissima. an quisquam credet, cum O. 1 caneretur, citharam in Hieronis triclinio de clavo pependisse et in media antistropha prima, ut cantui accineret, depromptam esse, ne ‚oratio repugnaret actioni'? iam supra de huiusmodi ‚inanibus phrasibus' disputavimus, quibus se ipse quasi canentem et psallentem Pindarus depingit, chori ratione non habita; neque autem hunc solum, sed etiam temporis omnem rationem verbis suis plane negligere solet.

Ita saepe canit Pindarus, tamquam epistulam scribat; ac minus etiam quam Romani epistulas scribentes eius, qui accipit, condicionem respicere solet. qua in consuetudine nos quidem legentes Pindari carmina non statim offendimus, sed miram eam videri necesse est, siquidem qui chorum saltantem videbant, de hac ipsa actione eum futuro tempore verba facientem audiebant. hoc Leop. Schmidtium adduxit, ut nonnulla carmina re vera epistulas esse statueret, quas non liceret credere cantatas ac saltatas esse (cf. ad O. 11, P. 7), aliaque carmina respici diceret locis, quibus nihil obstat, quominus ipsius, quod pangit, carminis actionem futuro tempore significari credamus (cf. O. 6. N. 2). at vero cum non credo iam tunc carmina rythmorum magnificentia insignia (de qua Schmidt ipse ad P. 2 monet) ad lectionem solam conscripta esse, tum secundum Schmidtii rationes haud multa Pindari carmina restabunt, quae vera epinicia esse liceat statuere. velut Isthmiae I primos versus, quibus aliud opus sese interrupturum profitetur, ut hoc carmen conficiat, nonne mirum est ut partem ipsius huius carminis a choro cani? num vero ideo credamus Pindarum homini populari victoriam ludicram nacto sola epistula gratulatum esse? an epinicii praenuntiam epistulam fuisse statuamus, quae ipsa epinicii partes quam iustissime expleret? quae O. 10, 84 et P. 10, 55 quasi futura afferuntur quin ad ipsa haec carmina pertineant, dubitari nequit, quamvis uterque locus fini quam initio carminis propior sit. quod O. 9, 25 Locrorum laudes exsecutus addit: ‚*παντᾷ ἀγγελίαν πέμψω ταύταν*', illud *πέμπειν* hoc ipso carmine fit neque iam futurum est eo tempore, quo carmen canitur. J. 8 (7), 8 pan-

gendi carminis consilium profitetur; J. 4, 72 (3, 90) etiam ultimo versu se laudes eius cantaturum dicit, ad quem totum carmen pertinet. J. 2, 47 ei, quem canendo carmini curare voluit, extremo carmine hoc mandatum defert. O. 1, 104 suum esse dicit Hieronem ἱππίῳ νόμῳ celebrare, quo nomine ipsum carmen O. 1 significatur (Boeckh de m. P. 276 adn. 2), ad quod canendum iam v. 17 accinctum se induxit. neque aliter de O. 6, 89 et N. 7, 77 iudicandum, quae infra tractabimus. interdum tamen canendi carminis tempus respicit, cf. ‚Σάμερον' P. 4, 1; imprimis ubi dei invocantur, velut O. 8, 10 (τόνδε κῶμον δέξαι), O. 14, 14. quod autem Mezger p. 237 ex verbis ‚Κυράνα νιν εὔφρων δέξεται' (P. 9, 73) propter futurum tempus efficiendum putat carmen cantatum esse antequam Telesicrates Cyrenam rediret, argumento prorsus inani nititur.

Onmium Pindari carminum nullo tam facile quis allici poterit, ut cum Schmidtio faciat, quam O. 11, quo carmine aliud i. e. O. 10 promitti iam Boeckh (cum scholiastis) statuit· equidem Mezgero (p. 420 sq.) iustum epinicium esse censenti et futuras verborum formas ad hoc ipsum carmen referenti astipulor. addo argumentis eius, quod v. 16 Musis imperatur: ‚συγκωμάξατε' (cf. N. 9, 1). male Pindarus imperativo aoristi carmen, quod aliquanto tempore post facturus erat, significasset[1]). ne propter brevitatem epinicium esse negemus, carmine P. 7 cautum est, quod etiam brevius est, maiorum autem victoriis enumerandis satis perspicue epinicium carmen se ostendit.

Quod si tam saepe carminis actio etiam versus finem eiusdem carminis quasi futura proponitur, manifestum reor nullo iure propter N. 3, 11 dubitatum esse, an non a primo inde versu

1) solum ‚ἐγγυάσομαι' v. 16 non recte credo Mezgerum explicasse ‚spondebo — si preci meae obsecutae eritis' nam debuit ante spondere. futuro ‚ἐγγυάσομαι' dicit se ad spondendum paratum esse et hoc ipso iam spondet. cf. μαρτυρήσει ‚testis est' O. 6, 21. 13, 108 i. e. ‚statim testabitur, ubi quaesieris'. Aesch. Ag. 1334: ‚οὐκ ἀρνήσομαι' nolo negare i. e. non nego, Eur. Alc. 164 αἰτήσομαι: hoc habeo, quod abs te petam i. e. hoc te precor. O 7, 20 ἐθελήσω futurum a praesentis vi fere non diversum, nisi, quam paratus sit ad officium explendum, futuro fortius exprimi statuas; simili pleonasmo Arist. Plut. 290 βουλήσομαι usurpatur.

chorus universus cum citharis concinuisset. Pindari igitur testimonium de coryphaeo cantum praeeunte nullum est; neque autem contra hanc consuetudinem e Pindari carminibus argumenta petere licet, id quod Westphal (II² 624) fecit. negat enim ille in Pyth. I chorum v. 4 demum accedere propterea, quod antistropham per sententiarum conexum non liceat eodem loco dirimere. sed solius cantus et plurium non nisi magnitudine vocis differebant (cf. Westph. II³ 34); itaque non absonum est fingere primos primae strophae versus a coryphaeo cani, eosdem antistrophae et ceterarum stropharum ab universo choro. circumspiciendum igitur, numquid praeterea de coryphaeo praeeunte veteres tradiderint.

Ac primum quidem ea coryphaei imago omnino removenda est, quam Westphal I³ 103 sq. proponit; etenim in medio choro stantem manumque susque deque horologii instar moventem fingit; qui aspectus cum nobis, qui auribus solis musicam percipimus, haud ita suavis, tum a Graecorum musica, qui chorum simul et canentem audiebant et saltantem spectabant, prorsus abhorret. duobus modis dicit Westphal (p. 104 adn.) rythmum significari posse, cum aut manus invicem levetur et ponatur aut manu digitove ita feriatur, ut canentes audiant. quod cum chorus canens ducis digitum audire nequeat, priorem solum modum chororum ducibus relinqui. alio loco (III³, 1, 152) apud Graecos aeque atque in nostra musica eas syllabas, in quibus fortior ictus esset, a duce quodem (‚ein Dirigent') rythmo feriendo insignitas esse extra omnem dubitationem positum esse contendit. haud scio an nunquam infelicius veteris musicae a nostra diversitas neglecta sit. ‚σημεῖον', ‚ἄνω' et ‚κάτω χρόνος', quibus vocibus Aristoxenus utitur, ad eiusmodi brachiorum motus, quos in odeis nostris inviti spectamus, non referet cum Westphalio, qui meminerit omnes fere rythmicae artis voces a saltatione ductas esse. ἄνω et κάτω pedum motum spectat [1]), σημεῖον autem cum in saltatione id, quo minima temporis particula expleretur,

1) Augustinus de mus. II, 10 (Wph. I³ 104) arsin et thesin ad manuum plausum refert. sed homo divinus ceteroqui, in re musica et hebes et temerarius, imprimis de plausu tam stulta commentus est (cf. II 13 sq.), ut risum vix teneas.

significaret, in rythmo *χρόνον πρῶτον* indicabat, unde vocabula *δίσημος*, *τρίσημος* etc. ducta (cf. J. Caesar Ind. lect. Marburg 1884/5, p. V), ab Aristoxeno autem a minimis istis pedum partibus ad maiorum pedum partes significandas translatum est. sed permultos locos Westphal (I³ 103—105) ad confirmandam sententiam suam congessit, quos examinare necesse est. Ar. probl. 19, 22 a magno canentium numero rythmus accuratius servari dicitur quam a parvo, *ὅτι (οἱ πολλοί) μᾶλλον ἐς ἕνα ἡγεμόνα βλέπουσιν καὶ βραδύτερον* (sic Westph. recte pro *βαρύτερον*) *ἄρχονται*, ... *ἐν γὰρ τῷ τάχει ἁμαρτία πλείων*. quae sensu carent. *ἄρχεσθαι* non semel a librariis cum *ὀρχεῖσθαι* confunditur (Anaxandr. Mein. com. III 198 *ἀρχή* libri pro *ὀρχεῖ*, Hesych. s. v. *κρεμβαλιάζειν ἀρχομένους* pro *ὀρχουμένους*, quod Casaub. ad Athen. V 193e restituit). itaque hic *ὀρχοῦνται* scribendum puto. saltantes ad ducem chori respiciunt, nimirum ipsum quoque saltantem, sicuti in pompa, quam saeculo urbis tertio Romae factam Dionysius Hal. (arch. VII 72) ex Q. Fabio describit, *ἡγεῖτο καθ' ἕκαστον χορὸν εἷς ἀνήρ, ὃς ἐνεδίδου τοῖς ἄλλοις τὰ τῆς ὀρχήσεως σχήματα πρῶτος*. rythmum aequali manus motu signantem *ἡγεμόνα* non est cur fingamus. eundem porro Horatium se inducere Westphal dicit, cum c. IV 6, 35 pueris puellisque imperet: ‚Lesbium servate pedem meique pollicis ictum'. iam inter veteres Horatii interpretes fuerunt, qui de duce rythmum manu feriente haec intellegerent. sed quis unquam pollice hoc fecit? manibus quidem solebant plaudere; quod Quintilianus IX 4, 51 ‚pedum et digitorum ictu' rythmum signari dicit, de manuum plausu cogitat; nam Graeci quoque *κρότον τῶν δακτύλων* dicunt pro *χειρῶν κρότῳ* (Schmidt Synon. III, 326). cf. Hephaest. schol., ubi p. 82 rythmus nasci dicitur *ἀπὸ ἵππου ποδῶν καὶ κρότου χειρῶν καὶ λύρας καὶ ἑτέρων τινῶν*, quibus loco simillimo p. 84 respondent: *ἵππων τε πορεία καὶ κίνησις δακτύλων . . . . καὶ χορδῶν κινήματα*. solus Terentianus Maurus 2254 ‚pollicis sonore vel plausu pedis' rythmum a docentibus signari refert, quibus vel consuetudinem aliquam ludi magistrorum spectat vel plausum manuum significat Horatii verba male intellecta imitatus [1]). pollicis apud Horatium men-

1) hinc ap. Mar. Vict. p. 183 K. loco ineptiarum pleno verbum dicitur ‚enuntiari ad sonum digiti vel pedis'.

tionem ut ad fidium cantum cum Dillenbergero aliisque referamus, suadet Ovidii locus ab Obbario laudatus (met. 10, 145): ‚Orpheus .... temptavit pollice chordas' (cf. art. am. II 494: ‚Apollo movit inauratae pollice fila lyrae'). nec mirum pollicem nominari. nam in vetustissima quidem lyra mediam chordam laevae pollice moveri solitam λιχανοῦ chordae gravioris nomen docet (Gevaert II 253)[1]). de media autem Ar. probl. 19, 20 haec praedicantur: ‚*πάντα τὰ χρηστὰ μέλη πολλάκις τῇ μέσῃ χρῆται καὶ πάντες οἱ ἀγαθοὶ ποιηταὶ πυκνὰ πρὸς τὴν μέσην ἀπαντῶσι, κἂν ἀπέλθωσι, ταχὺ ἐπανέρχονται, πρὸς δ' ἄλλην οὕτως οὐδεμίαν*'. unde apparet, quam apte pollicis ictus universus fidium cantus dicatur. Horatius translata loquitur, fingit enim se more antiquissimo cum cithara in medio choro stantem; praeterea sic multo elegantius chorum iubet et rythmum et harmoniam servare, cum secundum Westphali interpretationem de rythmo solo bis verba faciat.

Westphal etiam fidicines et tibicines numeros ferientes commemorat. hi quoque ad demonstrandam veteris musicae a nostra diversitatem apti sunt. nam tibicines choris accinentes etiam saltasse Aristoteles poet. c. 26 docet (*οἱ φαυλοὶ αὐληταὶ κυλιόμενοι, ἂν δίσκον δέῃ μιμεῖσθαι, καὶ ἕλκοντες τὸν κορυφαῖον, ἂν Σκύλλαν αὐλῶσιν*); de citharoedis saltantibus cf. Athen. I c. 39, Plato Alcib. I, 108a (Christ. Metr. 695), de auletis Athen. I c. 40, XIV c. 4, de rhapsodis Ar. poet. 26 (quem locum Christ Metr. p. 52 non recte explicat). quod cum ne hos quidem, quamvis instrumenta tenerent, saltationes expertes esse licuerit, omnino non tolerasse videntur Graeci quemquam in conspectu suo positum rem musicam exercere, quin idem grato corporis motu oculos iuvaret, praesertim in mediis saltantibus. quamobrem nihil magis diversum quam nostrae aetatis hegemona a vetere chori duce iudicandum est.

---

1) iniuria Westphal II² 71 de hac λιχανοῦ explicatione propterea dubitat, quia iam antiquitus plectro cecinerint; plectro solo usos esse nusquam traditur, sed qui eo utebantur, laeva psallebant, dextra plectrum habebant.

Coryphaei fuisse canendi signum choro ita dare, ut ipse aliqua praecineret, ex vestigiis nonnullis colligere licet. velut ap. Ps. aristot. de mundo c. 6 (Bergk hist. litt. III, 79) legitur: *καθάπερ ἐν χορῷ κορυφαίου κατάρξαντος συνεπηχεῖ πᾶς ὁ χορός ...., οὕτως ἔχει καὶ ἐπὶ τοῦ τὸ σύμπαν διέποντος θεοῦ· κατὰ γὰρ τὸ ἄνωθεν ἐνδόσιμον* etc. quod Plato Euthyd. 276 B (Bergk l. l.) dicit: *ὥσπερ ὑπὸ διδασκάλου χορὸς ἀποσημήναντος ἀνεθορύβησαν*, perinde ad vocem coryphaei referendum videtur, cf. Cass. Dio 56, 35 (Friedl. Sittengesch. III 237 adn. 5): *ἐμοῦ τὰ κεφάλαια ἀποσημαίνοντος καὶ ὑμῶν τὰ λοιπὰ συνεπηχούντων*. a Dione Chrys. 56, 4 (Friedländ. l. l. Volkmann Plut. de mus. p. 150) *χορῶν κορυφαῖοι* dicuntur *οἱ σημαίνοντες καὶ μέλος ἐνδιδόντες*, ubi *σημαίνειν* fortasse significat ‚corporis motu rythmum vel saltandi figuras praeire' (*σχήματα ἐνδιδόναι* Dion. Hal. l. l.). nam duplex illud ducis officium Columella quoque r. r. 12, 2 (Friedl. l. l.) respicit: ‚ubi chorus canentium non ad certos modos neque numeris praeeuntis magistri consentit' etc., item Horatius l. l. (Lesbium pedem — pollicis ictum). hoc *σημαίνειν* per totum cantum pertinet; simili ratione *ὑποσημαίνειν* tibia saltantibus dicitur a Philostrato Apoll. p. 140 K. ipso etiam verbo *ἐνδιδόναι* hoc sensu utitur Philostratus minor imag. p. 409 K., cum puerum cithara canentem choro *ῥυθμὸν ἐνδιδόναι* narrat. quamobrem quod Pollux VII 87 *κρουπέζια* refert *πεποιημένα εἰς ἐνδόσιμον χοροῦ*, falsam iudico Wieseleri sententiam inserviisse ea opinantis ad signum canendi dandum (Adversaria in Ar. Aves p. 48), cum Pollux ipsius saltationis percussiones dicat. *μέλος* vero *ἐνδιδόναι* non poterat coryphaeus nisi aliquos sonos ceterorum cantui solus praemittens. de eiusmodi endosimo Aelianus cogitat (hist. an. 11, 1), cum cycnos apud Hyperboreos canentibus sacerdotibus accinere narrat *οὐδαμῶς οὐδαμῇ ἀπηχὲς καὶ ἀπῳδὸν μελῳδοῦντας, ἀλλ' ὥσπερ ἐκ τοῦ χορολέκτου τὸ ἐνδόσιμον λαβόντας*. eandem endosimi notionem Maximi Tyrii narratio (or. 7, 7) spectat: aves, quae in domo tibicini vicina essent, cotidie ei *ἀντᾴδειν* solitas, postremo coepisse *ἀρξαμένου αὐλεῖν συνεπηχεῖν πρὸς τὸ ἐνδόσιμον δίκην χοροῦ*. nam ad tibiae cantum avium voces perinde accedunt atque hominum ad vocem coryphaei. omnino duplex est vocis endosimi vis, nam

aut primam partem alicuius rei significat, velut *προαύλιον* auletae [1]) atque orationis prooemium Aristot. rhet. 3, 14 (prooemii vicibus fungitur ap. Hesych. quoque, qui *ἐνδόσ.* interpretatur *τὸ πρὸ τῆς ᾠδῆς κιθάρισμα*), — aut signum aliquid faciendi, occasionem, provocationem. quod utrumque praestat coryphaei endosimon, qui cum primos sonos ipse canit, simul signum concinendi ceteris dat. Aelianus ne id quidem signum, quod thynnoscopus piscatoribus dat, simul et cum strategi synthemate [2]) et cum endosimo *χορολέκτου* comparare veretur (hist. an. 15, 5).

Praecipuas igitur in carminis cuiusque initio accurate proferendo coryphaei partes fuisse ex his omnibus apparet. cavendum tamen hic quoque est, ne ad artificiosam Pindari temporum poesim endosima illa referamus, quae fortasse vetustissimae tantum aetatis fuerint et in solo populari cantu vel sacris vetusti moris tenacibus remanserint. prisco more ad unius cantum ephymnia chori accessisse Homerus docet; quod de lenaico agone schol. Ar. ran. 479 refert ‚*ὁ δᾳδοῦχος λέγει· καλεῖτε θεόν, καὶ οἱ ἐπακούοντες βοῶσι· Σεμελήϊ' Ἴακχε πλουτοδότα*' (carm. pop. 5 Bergk), veri endosimi exemplum est. *ἐξάρχοντος* autem non solum erat paucis verbis canendi signum dare, sed etiam tota carmina cantare, quibus a choro non nisi vociferationes quaedam accedebant (cf. Christ. Metr. 699), velut apud Homerum *Ω* 721 *θρήνων ἔξαρχοι στονόεσσαν ἀοιδὴν ἐθρήνεον, ἐπὶ δὲ στενάχοντο γυναῖκες*, quod illustratur a Luciano (de luctu c. 20) ‚*θρήνων σοφιστὴν πολλὰς συνειλοχότα παλαιὰς συμφοράς . . . . ὁποῖ' ἂν ἐκεῖνος ἐξάρχῃ, πρὸς τὸ μέλος ἐπαιάζοντες*' [3]).

---

1) de tibiae cantu verbum *ἐνδιδόναι* saepe usurpatur, cf. Photius *προαύλιον· ὃ προενδίδωσιν ὁ αὐλητής.* itaque miror, quod Spengel in adnot. ad hunc Aristotelis locum de veritate lectionis *ἐνδόσιμον* dubitat.

2) cf. Himer. or. III, 9: *αὐτὸς ἐνδιδοὺς τὸ σύνθημα, ὥσπερ ὁ θεὸς ταῖς Διὸς παρθένοις ταῖς Μούσαις.* ib. XIV 31: *χοροῦ σύνθημα.*

3) Alcman cum Musam iubet *ἄρχειν* (frg. 1, 45) totum cantum suum, ut Homerus verbo *ἄειδε*, ad deam refert; *ἄρχε* non significat ‚incipe', sed ‚praei, quae ego audita hominibus tradam'.

Unde accidit, ut, cum chorica poesis invalesceret, chorus ipse ἐξάρχοντος, qui antea totum fere praestabat, partes susciperet. non offendisse Graecos in formulis a praesenti musicae statu alienis e Pindari sermone supra effecimus. itaque licuit choro tamquam ἐξάρχοντος voce iussa dare; sed cum antea eiusmodi iussis vociferatione obtemperatum esset, iam chorus ipsis verbis, quibus iubebat, iussa praestabat. nec non ephymnia eo ipso, quod chorus sese iubet ephymnia addere, videmus effici, velut Aesch. Ag. 117 K. sq. verbis: ‚αἴλινον αἴλινον εἰπέ, τὸ δ' εὖ νικάτω'. Wecklein (Jahrb. Suppl. XIII) coryphaeo haec verba danda iudicat et Keckio assentitur alterum versum ‚αἴλ. αἴλ. αὖτε' etc. a choro proferendum accudenti; Arnoldt (der Chor des Ag. Halle 1881) et Muff (Jahrb. 1883, 21 sq.) ubicumque ephymnia inveniantur, coryphaei solius cantum praecedere contendunt. quod recte negat Hanssen (Philol. 1884, 723). in Agamemnone coryphaeum, postquam 64 versus anapaesticos recitarit, continuo totum systema solum cantare necesse est statuat, qui cum Weckleino facit. atque omnino, qui verba premit, eo adducitur, ut chorum oscitantem plerumque et pedes manusque moventem, rarissime autem paucula canentem in tragoedias veterum inducat; absurda non potest vitare, qui non agnoscit formulas propria vi privatas vel ‚inanes phrases', ut Disseni verbis utar, in scaenica poesi ubicumque sparsas. neque enim solus chorus iussa proferre solet, quibus in sequentibus verbis nihil respondeat, sed multo latius pertinet consuetudo ea, quae quis vel iubeat vel se facturum profiteatur, pro re ipsa accipiendi — utilissima poetis ad varietatem efficiendam. in Aeschyli Supplicibus v. 200 K. sq. Danaus tamquam ἐξάρχων filiabus deorum invocationes praeit ac post Jovem iubenti patri: ‚καὶ Ζηνὸς ὄρνιν τόνδε νυν κικλήσκετε' filiae his verbis obsequuntur: ‚καλοῦμεν αὐγὰς ἡλίου σωτηρίους'. sed in sequentibus: *ΔΑ.* ‚ἁγνόν τ' Ἀπόλλω φυγάδ' ἀπ' οὐρανοῦ θεόν' (scil. invocate) *ΧΟ.* ‚εἰδὼς ἂν αἶσαν τήνδε συγγνοίη βροτοῖς' chorus non invocat Apollinem, sed preces tertia persona addit, quasi iam Danaus invocarit, qui iussit tantum invocare. nec magis auxie de ceteris deis agitur. postremo ad Danai verba: ‚πάντων δ' ἀνάκτων τῶνδε κοινοβωμίαν σέβεσθε' non respondent

(ut Eur. Bacch. 590 *σέβετέ νιν! ΧΟ. σέβομεν ὦ!*), sed Danaus statim pergit alia loqui. idem variandi studium cernitur Aesch. Choeph. 634 sq., ubi Orestes, postquam ‚*παῖ παῖ*' et ‚*παῖ παῖ μάλ' αὖθις*' clamavit, tertio loco dicit: ‚*τρίτον τόδ' ἐκπέραμα δωμάτων καλῶ*' ipsa voce non tertium addita. simillime Theocritus 22, 1 sq. ‚*Ὑμνέομεν .... Κάστορα καὶ .... Πολυδεύκεα ...*, *ὑμνέομεν καὶ δὶς καὶ τὸ τρίτον*' ... ter fingit invocari Dioscuros, semel nominat, ne taedium legentibus moveat.

Nemo autem licentius quam Pindarus huiusmodi libertate usus est, qua ei licuit officiis, quae *τεθμοί* ei imponerent, eo ipso satisfacere, quod verba de eis faceret. epinicia vetusto more simul et homini dedicari et deo[1]) (sive ludorum sive loci eius, ubi canebantur, aut diei festi praesidi) ac dei quidem praecipue proprium esse carmen laudatoque numine quasi minoris momenti rem hominis mentionem accedere saepe verbis significat Pindarus, cum re vera carmina sua minime ad hanc normam instituat. velut J. I 16 velle se dicit Herodotum *ἢ Καστορείῳ ἢ Ἰολάοι' ἐναρμόξαι .... ὕμνῳ* (i. e. in hymno illis sacro eius mentionem facere)[2]). ipse potius hymnus ille (v. 17—32), ut solent mythi apud Pindarum, victoris laudibus *ἐναρμόττεται*[3]),

1) *Ἀπόλλωνι μὲν θεῶν, ἀτὰρ ἀνδρῶν Ἐχεκράτει* epinicii cuiusdam poeta carmen suum dedicari profitetur (Bergk. lyr. III⁴ 716); cf. Theocrit. 17, 1 sq.: *Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα .... ἀθανάτων τὸν ἄριστον ἐπὴν ᾄδωμεν ἀοιδαῖς, ἀνδρῶν δ' αὖ Πτολεμαῖος ἐνὶ πρώτοισι λεγέσθω* etc.

2) cf. *περιπτύξασθαι γονέας καὶ ἀδελφοὺς καὶ γένος* ap. Menandrum rhetorem, i. e. oratione veluti amplexari, Ernesti lex. rhet. s. v.

3) addita sollemni hymnorum clausula ‚*χαίρετε*' (cf. Hom. hymn.) hos versus tamquam integrum carmen a cetero conexu separat; coniunctos autem eis laudat Castorem et Iolaum; unde sequitur ‚*ἢ — ἢ*' v. 16 non disiunctivas esse sed copulativas; quod non contenderem, nisi exempla praesto essent. nam Pindarus P. 6, 1 dicit: *Ἀκούσατ' ἦ* (sic) *γὰρ ἑλικώπιδος Ἀφροδίτας ἄρουραν ἢ Χαρίτων ἀναπολίζομεν ὀμφαλὸν ... χθονὸς ... προσοιχόμενοι*, ubi secundum *ἢ* negat Dissen quasi ‚*καί*' accipi posse et artificiosam ipse interpretationem proponit: carmen sive amatorium sive epinicium vocari, quoniam iuvenem dilectissimum canat. at vero licuitne hac ratione Gratias a Venere seiungere? coniunctae exstant loco mirum quam simili huic (frg. 90): ‚*χρυσέα κλυτόμαντι Πυθοῖ, λίσσομαι Χαρίτεσσί τε καὶ σὺν Ἀφροδίτᾳ, ἐν ζαθέῳ με δέξαι χορῷ*' (cf. frg. adesp. 88 (Bergk

Pindarus autem ita loquitur, tamquam summa carminis horum laude constet. longius a veritate recedit N 9, 1 sq. ‚*Κωμάσομεν*', inquit, ‚*παρ' Ἀπόλλωνος Σικυωνόθε, Μοῖσαι, ... ὄλβιον ἐς Χρομίου δῶμ'. ἀλλ' ἐπέων γλυκὺν ὕμνον πράσσετε. | τὸ κρατήσιππον γὰρ ἐς ἅρμ' ἀναβαίνων ματέρι καὶ διδύμοις παίδεσσιν αὐδὰν μανύει | Πυθῶνος αἰπεινᾶς ὁμοκλάροις ἐπόπταις.*' Chromius in pompa sollemni currum conscendens ‚hymnum ordiendum esse significat in honorem Latonae et liberorum', ut Heynium secuti interpretes explicant. ipsum, quod legimus, carmen his significari sententiarum conexus docet. num re vera condidit hoc Pindarus, ut Latonam celebraret? immo his solis verbis pietatis officium explevit, sed nihilo minus sollemni loquendi usu totum carmen numinibus illis tributum esse fingit. geminus locus est O. 1, 8 sq.: *ὅθεν* (scil. *ἀπ' Ὀλυμπίας*) *ὁ πολύφατος ὕμνος ἀμφιβάλλεται | σοφῶν μητίεσσι κελαδεῖν | Κρόνου παῖδ' ἐς ἀφνεὰν ἱκομένους | μάκαιραν Ἱέρωνος ἑστίαν.* nam sive hymnum ad hoc ipsum carmen refers et *σοφούς* cum Disseno et Schneidewino choreutas intelligis, sive explicas: ‚Olympia poetis Iovem domo Hieronis celebrandi materiam praebet'[1]), ita loquitur poeta, tamquam solius Iovis laudes carmen suum contineat. argute brevibus hoc officium absolvit, eo tamen pietati satisfecit, quod Iovem ante Hieronem nominavit (quamobrem quod Himerius or. 5, 3 dicit Pindarum *προςειπεῖν πρὸ τοῦ Διὸς τὸν*

III⁴ 718): *Ἀφροδίτης ὄνομα τέμνων καὶ Χαρίτων ἀνάμεστος*, ubi Bergk *ἄλοκα* conicit, fortasse hoc, de quo disputamus, loco commotus). *ἦ* coniunctivae magis quam disiunctivae exemplum praeterea inveni Eur. Hel. 165: *τίνα μοῦσαν ἐπέλθω, δάκρυσιν ἢ θρήνοις ἢ πένθεσιν*; cf. Herc. fur. 1025: *τίνα στεναγμὸν ἢ γόον ἢ φθιτῶν ᾠδὰν ἢ τίν' Ἅιδα χορὸν ἀχήσω*; quae eiusdem rei nomina sunt.

1) equidem hanc rationem praefero, quam etiam Rost (cf. Schneidewin. in Disseni ed.) sequitur; imprimis propter ‚*μητίεσσι*', nam menti quidem poetae carmen debetur, chori autem vocibus; et *ἀμφιβάλλεται* hymnus mentibus, dum excogitatur et conformatur; cum perfectus chori voce redditur, auribus potius *ἀμφιβάλλεται*. neque in plurali generali sententia accipiendo offendendum: nam *ὕμνον* collective de laudandi materia, quae poetis praesto sit, intelligi posse N. 6, 38 docet (*παλαίφατος γενεά ... Πιερίδων ἀρόταις δυνατοὶ παρέχειν πολὺν ὕμνον ἀγερώχων ἐργμάτων ἕνεκεν*).

Ἱέρωνα, iniuria Wernsdorf ad Ol. 1 refert). ad Ol. 10, 79 transeo. narratis ibi ludorum Olympicorum incunabulis v. 76 pergitur: ‚ἀείδετο δὲ πᾶν τέμενος τερπναῖσι θαλίαις | τὸν ἐγκώμιον ἀμφὶ τρόπον, | ἀρχαῖς δὲ προτέραις ἑπόμενοι καί νυν ἐπωνυμίαν χάριν | νίκας ἀγερώχου, κελαδησόμεθα βροντὰν | καὶ πυρπάλαμον βέλος | ὀρσικτύπου Διὸς | ἐν ἅπαντι κράτει | αἴθωνα κεραυνὸν ἀραρότα. | χλιδῶσα δὲ μολπὰ πρὸς κάλαμον ἀντιάξει μελέων, | τὰ παρ’ εὐκλέϊ Δίρκᾳ χρόνῳ μὲν φάνεν’. Iovis fulmen Locrensibus praecipue sacrum (cf. Boeckh explic.) mediis verbis celebratur; prima autem et extrema (cf. v. 3 sq.) verba abunde docent ad ipsum hoc, quod habemus, epinicium totum locum pertinere[1]). Iovem igitur fulminantem hoc carmine celebrari fingit, re vera his solis verbis eum commemorat; et cum O. 1, 10 id saltem curarit, ut deum primo loco nominaret, hic absoluta demum tertia carminis parte, ad id tempus, quo canendi consilium cepit, animo recurrens, dei mentionem affert. simili modo N. 7, 77 sq., cum extremo fere carmine ad eius initium, ut saepissime (v. p. 53), se accingit: ‚ἀναβάλεο .... Διὸς δὲ μεμναμένος ἀμφὶ Νεμέᾳ πολύφατον θρόον ὕμνων δόνει’, Iovis ante cetera nominandi officium verbis significare satis ducit. iam structa est via ad O. 6, 87 sq. intelligenda. ad carminis epilogum his transitur: ‚ὄτρυνον νῦν ἑταίρους, | Αἰνέα, πρῶτον μὲν Ἥραν Παρθενίαν κελαδῆσαι, | γνῶναι δ’ ἔπειτ’, ἀρχαῖον ὄνειδος ἀλαθέσιν | λόγοις εἰ φεύγομεν, Βοιωτίαν ὗν. ἐσσὶ γὰρ ἄγγελος ὀρθός, | ἠϋκόμων σκυταλὰ Μοισᾶν, γλυκὺς κρατὴρ ἀγαφθέγκτων ἀοιδᾶν. | εἰπὸν δὲ μεμνᾶσθαι Συρακοσσᾶν’ etc. Heyne explicat: ‚meminerimus hoc carmine etiam Iunonis’, ‚ita ut haec verba simul sint pro laude, quam cani iubeat’. Dissen repudiata eius sententia duo alia carmina praeter hoc epinicium a Pindaro missa esse statuit; Schneidewino ‚sufficere unus hymnus in Iunonem’ videtur; item Leop. Schmidt de peculiari in Iunonem

---

1) Mezgero idem iudicanti assentior nec possum cum Leop. Schmidtio facere, qui de aliis carminibus post hoc canendis cogitat; nam ἐπωνυμίαν χάριν νίκας κελαδεῖν βροντάν i. e. carmine epinicio fulmen celebrare; at neque credo carmina in Iovem seorsum prolata ipsa quoque epinicia vocata esse, et mirum esset non hoc potissimum carmen, quod nunc canit, ad morem vetustum referri.

hymno cogitat. Mezger Heynium sequitur, recte opinor. maxime verba: ‚πρῶτον — ἔπειτα' offensioni fuisse videntur viris doctis, quippe quae vero rerum ordini minime responderent. quid sibi velint, eis, quae modo attulimus, dilucidari credo. Pindarus, ut eis, quae Aeneae choro duci mandat (ὄτρυνον — εἰπόν), vetustissimam consuetudinem respicit (quasi Aeneas praecineret: καλεῖτε θεάν, chorus deinde Iunonis nomen clamaret), non verum artificiosi carminis canendi modum, qualis illo tempore erat, ita vetusto officio deae nomen primo loco afferendi hominisque laudes deis subiungendi verbis ‚πρῶτον — ἔπειτα' defungitur, cum re vera Iunonem extremo demum carmine, i. e. hoc ipso loco, laudet.

Vides abundare Pindari carmina dicendi genere cum eis, quae pridem fuerant, artis legibus congruo, a vera autem ipsorum carminum indole saepe alieno. quam non veritus sit Pindarus huius generis vocibus prorsus inanibus uti, luculentissimum Castorei exemplum docet P. 2, 69: ‚τόδε μὲν κατὰ Φοίνισσαν ἐμπολὰν | μέλος ὑπὲρ πολιᾶς ἁλὸς πέμπεται, | τὸ Καστόρειον δ' ἐν Αἰολίδεσσι χορδαῖς θέλων | ἄθρησον'. quo nomine ipsum carmen P. 2 significari Boeckh (explic. et de m. Pind. p. 276) Hermannum secutus censet et ‚μέλος' v. 68 idem esse ac τὸ Καστόρειον iudicat, particulis igitur ‚μὲν — δὲ' non opponi, sed conecti sententias. Mezger (p. 58) Castoreum ideo appellari, quia curulem victoriam celebret, recte iudicat. sed quonam iure Pindarus carmen, in quo ne minima quidem Castoris mentio fieret, Καστόρειον vocare potuerit, nemodum quoad sciam docuit. nam ab illo Castoreo, quod rythmo anapaestico Lacedaemoniis in pugnam ingredientibus tibicines accinebant (v. Boeckh de m. P. 276 adn. 2), cum hic locus tum J. 1, 16 sq. plane aliena sunt; iniuria Boeckh haec omnia confundit; quis enim credat milites pedites Castore equite aurigave celebrando animos confirmasse?

Sed altius mihi repetenda oratio est, ut, quid de Pindari Castoreo sentiam, exponam. Pindaro teste (O. 9 in.) Epharmosto victori statim ipso ludorum loco accinebatur τὸ Ἀρχιλόχου μέλος .... καλλίνικος ὁ τριπλόος κεχλαδώς. quibus verbis Eratosthenes dicit Archilochi hymnum in Herculem (frg. 119 Bergk) significari,

ephymnio ‚τήνελλα καλλίνικε' insignem; quem, cum peculiare nomen non contineret, in quemvis victorem quadrasse. negat v. Sybel (Hermes V 192 sq.) hunc hymnum victoribus cani solitum esse et sola verba ‚τήνελλα καλλίνικε' et a Pindaro et ab Eratosthene spectari dicit; Bernhardy (hist. litt. gr. II 1, 426) et Christ (Metr. 649) sententiam eius sequuntur. at vero et Eratosthenes ridicule id monuisset duo ista verba ad omne victoriae genus apta esse neque Pindarum credo popularem hanc eiulationem ab Archilocho repetiisse, quam ab illo non tam inventam, quam repertam et hymno suo insertam esse censenti Westphalio (Gesch. d. alt. u. mittelalt. Mus. p. 134) assentior. Aristophanis potius scholiasta (Av. 1764) errat, cum sola verba ‚τήν. καλλ.', quae Pisthetaëro ibi acclamantur, ab Archilochi hymno oriunda putat, Pindari interpretum male memor.

Complura faciunt, ut Eratostheni credamus. primum ea fuit vetustissimae apud omnes populos poeseos indoles, ut, si qua fortuna hominum animos moveret, dei cuiusdam aut herois qui similia vel fecisset vel passus esset, fortuna caneretur. ut epicum dicendi genus ab ea aetate, qua dei potius quam homines canebantur, passim pendet, ita huiusmodi carmina solis primo deis dedicata esse, deinde ita ad homines descendisse, ut secundae eorum partes essent, sero tandem licuisse brevi deorum mentione officium servare, ex Pindari sermone vetusti moris vestigiis variato perspici supra ostendimus. cur Eratosthenes dicat hoc carmen hymnum in Herculem fuisse, non epinicium, causa in aperto est; etenim veteres lyrica omnia in tria genera distribuebant, carmina in deos, in homines, in deos et homines (Bergk P. L. Gr. I[4] 370); quod cum epinicia in secundo genere numerarentur, non putabat Eratosthenes in deum potuisse epinicium cani. sed iniuria eiusmodi distributionem ad vetustissimam poesin adhibebat. quin etiam scimus epinicia praecipue Herculi cantari solita. *τετράκωμος* Hesychio teste erat *μέλος σὺν ὀρχήσει εἰς Ἡρακλέα ἐπινίκιον*, *καλλίνικος* apud eundem *εἶδος ὀρχήσεως ἐπὶ τῇ τοῦ Κερβέρου ἀναγωγῇ* (Schweigh. ad Athen. XIV c. 9). hinc apud Euripidem Herc. fur. 680 chorus se *τὰν Ἡρακλέους καλλίνικον* (scil. *ἀοιδάν*) cum tibia et cithara (v. supra) canere profitetur; v. 788 *τὸν Ἡρ. καλλίνικον ἀγῶνα*

canit; v. 1046 Hercules ipse καλλίνικον κάρα appellatur; quin iustum epinicium v. 348 sq. ei canitur, quod etiam dicendi genere saepe Pindari memoriam nobis quidem affert [1]), cf. v. 355 ἐγὼ . . . . (Ἡρακλέα) ὑμνῆσαι στεφάνωμα μόχθων (cf. Pind. J. 4, 44 [3, 62] ἅψαι πυρσὸν ὕμνων . . . παγκρατίου στεφάνωμα) δι' εὐλογίας (sic victoris laudes et Pindarus N. 4, 5. J. 3, 3. J. 6 [5] 21 et carminis O. 5 auctor v. 24 appellat) θέλω. v. 368 ξύνοιδε Πηνειός . . . . καὶ Πηλιάδες θεράπναι σύγχορτοι θ' Ὁμόλας ἔναυλοι (cf. Pind. O. 7, 83 ἔγνω νιν . . . . Πελλανά τ' Αἴγινά τε νικῶντα, O. 13, 108 μαρτυρήσει Λυκαίου βωμός). epinicium Archilochi quoque hymnum fuisse ex schol. Ar. Av. 1764 efficiendum, qui cecinisse haec dicit Archilochum εἰς τὸν Ἡρακλέα μετὰ τὸν ἆθλον Αὐγέου. quod tam egregie cum more Olympiae victoribus eum accinendi convenit — devicto enim Augea Hercules ludos Olympicos instituit (Pind. O. 10, 24 sq.) — ut non videam, qua ratione Eratosthenis testimonio fidem abrogemus.

Luctatori Epharmosto (O. 9) Archilochi hymnum accinuerant; J. 4, 52 [3, 70] victori pancratiastae comparatur Hercules, qui luctando Antaeum vicerit; contra J. 1, 16 in curuli victore canendo Castorem ἱπποδάμον celebrat, cui, perinde atque Archilochus Herculi, Iolai laudes adiungit. equidem credo complura eiusmodi vetusta carmina fuisse et in eligendis, quae victori accinerentur, factorum similitudinem spectatam esse. Pindaro autem, ut praeconis interdum, ita eorum quoque personam induere placuit, qui victoriam modo nactos ipso ludorum loco vetusto carmine prosequerentur; hoc ubi fingebat, ea, quae victori curuli canebat, Castorei loco erant. hinc carmen P. 2 Castoreum dixit, quamvis ne verbum quidem insit de Castore [2]).

Praeterea autem a vetusto illo carminum genere liberiora posteriorum temporum epinicia originem duxisse cum ipse Pindarus illo Castorei nominis usu indicare videtur, tum per se veri simile est. quod ad iudicandam Pindari carminum indolem

---

1) hinc quoque perspicitur, quam multa in Pindari sermone sollemni dicendi usui debeantur (cf. Wilamowitz Isyll. v. Epid. p. 166 adn. 15).

2) O. 1, 104 quoque, ubi totum carmen O. 1 νόμος ἵππιος appellatur, veri simile est vetus illud Castoreum respici (cf. Christ. Metr. 578).

non minimi momenti est. male Bergk (hist. litt. gr. II 366) suspicatur Simonidem demum coepisse mythum epinicio inserere, scholio futtilissimo ad Pind. N. 4,60 nisus. divina utique vetustiora sunt[1]), quaerendum potius erat, quisnam primus cum deorum laude ipsam hominum laudem verbis expressam contexuisset; quam antea in deorum vel heroum laude quodammodo latentem audiebant. quamobrem ne hoc quidem Leop. Schmidtio concedere velim Pindarum primum effecisse, ut inter mythum et victoris res ratio quaedam intercederet. nam tacita quaedam comparatio antiquitus mytho inerat, itaque exspectabatur, etiamsi non verbis, ut P. 6, indicata erat. sed id fortasse Pindari inventum est, quod non soli victoriae divinum exemplum adhibetur (ut J. 1 in Castorei veteris effigie), sed saepe cum cetera victoris vita vel patriae eius rebus subtiliter excogitata necessitudo mytho intercedit (ut iam in antiquissimo carmine P. 10 Hyperboreorum vita describenda victoris vel familiae eius beatam condicionem significare videtur). de Simonidis quidem mythis uno Quintiliani loco (11, 2, 11 sq.) comperimus: ‚cum pugili coronato carmen, quale componi victoribus solet, ... scripsisset, ... digressus in laudes Castoris et Pollucis exierat. .... est autem dissensio, Glaucone Carystio an Leocrati an Agatharcho an Scopae scriptum sit id carmen etc.' unde sequitur compluries Simonidem in pugilis laudibus Pollucem *πὺξ ἀγαθόν* celebrasse; quod ad prius illud mythorum genus pertinet. istam de negata mercede historiolam temere interpretes, ut solebant, ad unum alterumve horum carminum trahebant; quam temere, carminis in Glaucum scripti fragmentum (frg. 8 Bergk) docet, ubi Pollux Glauco impar esse dicitur. eadem temeritas historiam de Corinna pueriles Pindari conatus deridente ad hymnum primum retulit[2]), plane eadem ad

1) nunquam Scopas vel quisquis erat in eo offendit, quod Simonides Dioscurorum laudem cum sua conecteret (Cic. de or. II 352); quam nullius pretii haec historiola sit, vel ipsa auctorum de loco et persona maxima dissensio (Quint. 11, 2, 11 sq.) docet.

2) non video monuisse quemquam, quam male hoc fecerint (v. Boeckh frg. 5; Schneidewin in ed. Disseni vol. I p. LXXXIV; Leop. Schmidt libri de Pind. initio; Leutsch Philol. XI 176 sq.; Mezger p. 8). ut taceam,

P. 2, 69 hyporchema (frg. 105), quasi *Καστόρειον* illud esset, attulit.

Sed ut ad summam disputationis redeam, quam lubricum sit artis leges vel rei musicae condicionem e Pindari sermone diu praeterita ubique referente colligere, ex tota hac disquisitione elucere arbitror. restat tamen adhuc de re musica quaestio

---

quam non veri simile sit, carmen puerilibus vitiis ridiculum in tanto honore fuisse, ut Lucianus (Icaromen. 27) Musas id in deorum convivio una cum Hesiodo theogonia canentes induceret — in huiusmodi mythorum enumeratione non offendisse veteres ipse Pindarus ostendit carmine J. 7 [6], quod senex scripsit (v. 41); Bergk (P. L. Gr. I[4] p. 11) parum feliciter rem invertit et ‚ἕκαλος ἕπειμι γῆρας' ab adulescentulo dictum esse credit. simile N. 10 initium est et Horatius (c. I, 12) deos heroesque ad taedium usque enumerando mirum quam magnifice et vetuste sibi loqui videtur. deinde ἀπορίας formae vetustatem non modo hymni Homerici ostendunt, sed etiam in Hesiodea poesi, quam colebat Pindarus et hoc praesertim hymno theogonico imitatus esse videtur, sollemnem eam fuisse ex eoearum forma perspicitur. quae quomodo ex illa orta sit, luculentissime primi duo hymni Homerici docent. nam in secundo v. 29 sq. post interrogationem: πῶς τ' ἄρ σ' ὑμνήσω; brevis mythorum enumeratio voculis ἤ — ἤ etc., qualis in Pindari hymno est (comparat haec etiam Bergk hist. litt. I 756), sequitur; quinto autem ἤ statim longa 330 versuum narratio adiungitur; in primo vero hymno v. 19 sq. post eadem verba ‚πῶς τ' ἄρ σ' ὑμνήσω;' uno tantum ‚ἢ ὡς' mythus annectitur. neutro loco respondetur interrogandi particulis, sed ipsa narratio, quae est responsi loco, eis inducitur. idem cadit in formulam ‚ἢ οἵη' (cf. Scut. Herc. 1). quamobrem non facio cum Bergkio (hist. litt. I 1003 adn. 85) ‚οἵη μέν' primo loco anteisse censenti aut O. Müllero (hist. litt. I 169) ita formulam explicanti: ‚tales feminas nunquam videbimus, qualis erat etc.' recte Göttling extrema theogoniae verba: ‚νῦν δὲ γυναικῶν φῦλον ἀείσατε … μοῦσαι … κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο' eoearum exordium iudicat, sed quod haec fere supplenda proponit: ‚ἧς ἐμίγη …. οἵη ἔην Νιόβη …. ἢ οἵη' etc., ei non assentior; ad hymni potius in Apollinem primi exemplum exordium conformandum fuit (*Μνήσομαι … Ἀπόλλωνος, …. πῶς τ' ἄρα; ἢ ὡς* etc., i. e. Musarum invocationem interrogatio sequebatur, cui prima narratio verbis ‚ἢ οἵη', ceterae ‚ἢ οἵη' adserebantur. Hermesianax, qui κατάλογον ἐρωτικῶν a verbis ‚οἵην μέν' incepit (Athen. XIII c. 71) non debuit movere viros doctos, nam is omnino hoc carmine eoearum formam imitari non studuit, cum secundum exemplum verbis ‚οὐ μὴν οὐδέ' induceret, tertium verbis ‚φημὶ δὲ καί'.

gravissima, ad quam dilucidandam non ipsius Pindari testimonium, sed peculiaris carminum eius indoles nonnihil conferre mihi videtur.

Solet enim Pindarus stropharum systematumque terminos artissimo sententiae conexu transsilire. quod recte Croiset (p. 84) ad modos leniter currentes refert. sed tamen aliquo modo necesse erat incisionem perspicuam fieri. nec video, quo alio modo hoc fieri potuerit, nisi interpositis instrumentorum sonis, qui quasi sequentis strophae prooemium essent. Vogt (de metris Pindari diss. Argentor. vol. IV p. 71) negat veri simile esse ‚in carminibus cantandis cantum vocum humanarum interruptum esse musicorum instrumentorum sonis neque in fine versuum neque in fine stropharum neque in fine systematum, quibus insertis multae sententiae discerptae ab auditore intelligi non potuissent'. similia idem Phil. Anz. XIII p. 663 profert. sed in quo nos valde offenderemus, non offendisse Graecos dramatum stichomythiae docent, ubi saepissime aequalitatis gratia enuntiata alterius verbis sententia prorsus neglecta discerpuntur. quod multo molestius ferre debuerunt quam quod Vogt eos non toleraturos fuisse arbitratur.

Sed de instrumentorum quoque sonis testimonio uti licet Aristophanis (Ram. 1286 sq.), qui Euripidem *φλαττοθρατ* suum Aeschyli versibus singulis interponentem non induceret, nisi apud Aeschylum crumata perinde se habuissent. manifesta autem horum Euripidis versuum ab antecedenti cantu ea differentia est, quod illic, ubi ephymnia irridentur, praeter primum versum (1264), cuius sententia cum verbis ‚*ἰὴ κόπον*' etc. cohaeret, integrum semper enuntiatum illi ephymnio praemittitur; hic autem tota versuum series unam sententiam quamvis absurdam efficit, ita tamen, ut voce *φλαττοθρατ* ubique conexus discerpatur. errat igitur Wecklein (Jahrb. Suppl. XIII 232), qui ad ephymnia haec quoque refert et scholiastae verba: ‚*τινὲς σημειοῦνται αὐτὸ, ὅτι τῶν διορθωτῶν τινες περιεῖλον τὰς τοιαύτας ἐν τοῖς μέλεσι προςθέσεις*' de ephymiis a scribis saepe omissis intelligit. scholiasta de instrumentis cogitat, quorum soni utrum diorthotarum manu evanuerint an nunquam in libris adscripti fuerint, dubitari potest; si veros instrumenti sonos hoc loco signari

putat, in eodem errore est ac Wieseler, qui litteris *τιο τιο* tibiae cantum ab Aristophane notatum esse credebat. mira ratione Bergk (hist. litt. III 160) tibiae imitationem hic videt, quasi vero propter tibiae sonos Euripides Aeschyli locum e nomo citharoedico sumptum dicat. praeterea *φλαττοθρατ* nimium quam simile voci *βλίτυρι*, quae item fidium sonum significat. tibias, ut nos, *μυγμῷ* [1]) imitabantur. vox ‚*τήνελλα*', quae tibia deficiente victoribus accinebatur, minime ob hanc causam tibiae soni imitationem indicat.

Alterum testimonium peto ex Aristophanis Avibus (v. 737—784). neque enim licuit Aristophani avium teretismata ita versibus interponere, ut sententias ubique discerperet, nisi consuevissent theatra instrumentorum teretismatis, quorum vicibus choreutae ipsi vocibus suis funguntur, eodem modo sententias discerptas audire.

Quamobrem ne in mediis quidem strophis apud Pindarum crumata inter versus intercidisse praefracte negare ausim. quin etiam memoria quaedam huius rei usque ad Choerobosci tempora servata esse videtur. etenim in scholiis ad Dionys. Thrac. (Bekk. anecd. II 751) haec leguntur: ‚*τινὰ ποιήματα οὐ μόνον ἐμμέτρως γέγραπται, ἀλλὰ καὶ μετὰ μέλους. διὸ οὐδ' ὁ στίχος κεῖται ἐν τῇ στοιχήσει τέλειος, ἀλλὰ μέχρι τοῦ ἀπηχήματος τῆς λύρας στίζει τὴν ὁρμήν, ὡς ὁρᾷς τὰ τοῦ Πινδάρου συγκεχομμένως ἐκφερόμενα*'. quae quamvis subobscura sint, hoc tamen significare videntur: motum rythmicum (*ὁρμὴν χορευτῶν* Planudes *ἄρσιν* et *θέσιν* appellat Westph. I³ 105) non in verborum fine suum finem habere, sed accedentibus versui cuique lyrae sonis rythmum compleri (*στίζειν* = ictus rythmicos indicare Anon. Bell. § 85). aequalitatem metrorum quaerebant, cum varietatis venustatem sentire dedidicissent; quam Augustinus (de mus. l. IV) intervallis quotquot libebat morarum satis inficete interpositis

1) *μυμῦ* Ar. equ. 10 = hm — hm (cf. Lysistr. 294: *τὸ πῦρ φυσητέον· φῦ φῦ*, schol. *παρεπιγραφή*), quam *παρεπιγραφὴν* librarii praeter rem curiosi ad iustam trimetri formam redegerunt. syllaba *μυ* prout aperto vel clauso ore profertur, mugitum aut loquendi abstinentiam (cf. *μυστήρια*) significat; nescio an hinc ‚*βοῦς ἐπὶ γλώττῃ*' (Aesch. Ag. 36) explicandum sit.

ubique restituere studet; alii, quibus Pindari praesertim carmina membrorum inaequalitate laborare viderentur, elegantius ad crumata interposita confugerunt; quod non fecissent, nisi memoriae proditum fuisset ultra metrorum finem in lyricorum veterum carminibus instrumenta sonuisse. ex metrica saltem Pindari carminum condicione contra has instrumentorum partes non licet argumentum petere[1]).

Praeludia ista carminibus vel eorum partibus praemissa e vetustissima musica orta sunt. fuit enim tempus, cum sola dicendi intervalla instrumentorum sonis explerentur. ex Homeri locis certi nihil licet colligere et veteres ipsi de vetusto Homerum canendi modo pugnantia tradunt; hymnus in Mercurium, ubi v. 425 sq. cantus cum citharae sonis simul prodiens describi videtur, aetatis admodum recentis est (v. de his rebus Susemihlium in Jahrb. 1874, 649 sq.). sed in pastorum cantu vetus mos remansit; etenim Theocriti et Vergili multi loci intelligi nequeunt, nisi statuas carmina illa ab ipso canente interpositis fistulae sonis membratim distincta esse (cf. Voss ad Verg. ecl.

---

1) recte H. Schmidt (die Eurythmie i. d. Chorges. d. Gr. 1868 p. 89) postulat ut in iudicanda eurythmia pansarum quas dicunt accuratissime ubique ratio habeatur. paradoxa Vogt (diss. Arg. IV) protulit, qui, quamquam ipse p. 54 dicit pausam in exitu omnium versuum propter hiatum flagitari, tamen anacrusin ad antecedentis versus ultimam arsin pertinere frustra tormentis adhibitis arguere studet; quin etiam p. 78 dicit ‚versus finem incidere posse in medium colum', quod fateor me non intellegere. adductus est ad hoc miraculum statuendum duobis Pindari locis P. 9, 2-3 (. . . —⏑———‖⏑⏑—⏑ . . .) et O. 6, 5-6 (. . . —⏑⏑—⏑⏑—⏑—‖⏑———⏑—— . . .), qui casu quodam ita conformati sunt, ut si liceret versus coniungere, iustissimum metrum dactyloepitriticum evasurum sit; at principio anapaestico P. 9, 3 eiusdem strophae v. 1 respondet, spondeum exeuntem versus 2 tuetur P. 1, 2; item ad O. 6, 5 logaoedici exitus exemplum in carmine ceteroqui dactyloepitritico praebet N. 8, 14; ⏑—— autem commodum metri dact.-ep. introitum Aristophanes novit, cum Av. 1337 parricidam Sophoclis verbis: ‚γενοίμαν αἰετὸς ὑψιπέτας' etc. sese inducentem facit; idem initium in eiusdem generis versibus exhibet Eur. El. 864 = 878, ubi rythmum ⏑—— non licet cum antecedentis versus exitu (—⏑⏑—⏑⏑—) coniungere; alioqui logaoedicus versus fieret. — ambigua etiam Christ (Metr. p. 586) loquitur, cum hiatus in versuum fine cum rythmi continuitate conciliare studet.

VIII 21 et passim). apertissime autem metrorum historia docet fuisse tempus, cum nondum crumata cum verbis simul proferrentur. quae Archilochus novasse traditur, eo consilio novata esse, ut ad rythmum musicum verborum metrum se applicaret, Usener (d. griech. Versbau 1887, p. 114—120) exponit. quocum mire convenit vetus quoddam testimonium, quo Archilochus primus instrumentorum sonos cum verbis iunctos edidisse fertur, Plutarchi de mus. c. 28,5 dico; quem locum, quoniam vexavit interpretes et in varios errores induxit, necesse est pluribus tractemus.

Legitur ibi: ‚*οἴονται δὲ καὶ τὴν κροῦσιν τὴν ὑπὸ τὴν ᾠδὴν τοῦτον πρῶτον εὑρεῖν, τοὺς δ' ἀρχαίους πάντας* (*πάντα* Wph.) *πρόςχορδα κρούειν*'. *πρόςχορδα κρούματα* ea esse, quibus homophoni cum canentis voce soni reddantur, Platonis Leg. VII 812 D confirmatur (Westph. II³ 31). putabant igitur viri docti Archilochi inventum eo constitisse, quod non homophona cum cantu psalleret, sed heterophoniae primus auctor exsisteret. quomodo autem ‚*ὑπὸ τὴν ᾠδὴν*' heterophoniae notionem haberet, diverso modo explicare studuerunt. v. Jan (Jahrb. 1879, 583; Phil. Anz. IX 301) ex chordarum nominibus (*ὑπάτη* gravissima, *νήτη* acutissima, *ὑπερυπάτη ὑπερμέση* quae sunt sub hypata, sub media — ut nostra more loquar; contulit haec v. Jan Jahrb. 1871, 369 sq.) concludendum arbitratur Graecorum consuetudinem tonos quasi in linea recta positos animo intuendi nostrae contrariam fuisse; quod cum constet in vocis humanae cum instrumentis concentu graviores illius partes fuisse, ‚*ὑπὸ τὴν ᾠδὴν κρούειν*' interpretatur: sonos non iam homophonos, sed acutiores cantui addere.

Sed errant, qui putant Graecis solis, cum omnes populi praeter Sinenses (cf. Riemann Stud. z. gr. Notenschr. Lips. 1878) acuta alta vocarent, inversam imaginem obversatam esse. multa sunt eiusdem, qua nos utimur, imaginis vestigia; plura essent, nisi sollemnia huius differentiae nomina ex qualitatis diversitate sumpta fuissent [1]). Sex. Empiricus (adv. mus. 43) in vocis motu

1) hinc factum ut ‚altitudinem' quam Varro apud Gellium (16. 18), ut nos, vocat, vetustiores non solerent uno verbo dicere (nam *μέγεθος* ambiguum erat), sed moleste *ὀξύτητι καὶ βαρύτητι* (Plat. Phileb. 17c) circumscriberent.

distinguit *ἐπὶ τὸ βαρύτερον ἀνίεσθαι* et *ἐπὶ τὸ ὀξύτερον ἀναβαίνειν* (pro *ἐπιτείνεσθαι*). Plutarchus (de coh. ira c. 6) tibicinem C. Graccho astantem habuisse dicit *συρίγγιον, ᾧ τὴν φωνὴν οἱ ἁρμονικοὶ σχολῇ ἐπ' ἀμφότερα διὰ τῶν τόνων ἄγουσιν*, idem instrumentum (Ti. Gracch. 2, 5) appellatur *φωνασκικὸν ὄργανον, ᾧ τοὺς φθόγγους ἀναβιβάζουσιν*. comparati loci docent *ἀναβιβάζειν* ad *τάσιν* pertinere. *ἄρσιν* Pletho (Vincent not. et extr. d. mscr. 236) definit *ὀξυτέρου φθόγγου ἐκ βαρυτέρου μετάληψιν*, quae vere est *ἐπίτασις*; Caesar (Gr. Rythmik p. 69) huc refert Ps. Prisciani doctrinam (de acc. 2, 13) thesin cuiusque verbi eas syllabas appellantis, quae acutam sequuntur. in probl. Aristoteleis (19, 37) acuti soni *τὰ ἄνω* vocantur. quamobrem ei, qui in vocis humanae naturam inquirebant, graviora quovis modo sub acutioribus collocare studebant. Aristides Quint. I 8 dicit *τὴν βαρύτητα γενέσθαι κάτωθεν ἀναφερομένου τοῦ πνεύματος, τὴν ὀξύτητα ἐπιπολῆς προϊεμένου*. accuratius de his Nicomachus II 34 refert: *ὁ φθόγγος ὁ βαρὺς ἀπὸ τῶν κοίλων τῶν πρὸς λαγόσι τῶν κατωτάτω τοῦ σώματος ἄρχεται· ὁ δὲ ὀξὺς ἀπὸ τῶν ὤτων τε καὶ τῶν ἄνω μορίων*. alii in sola arteria sonos disponebant, velut Pletho (l. l. 234) refert *γίγνεσθαι τὴν βαρύτητα κάτωθεν καὶ πρὸς τῷ λάρυγγι τοῦ πνεύματος ἠχοῦντος, τὴν δ' ὀξύτητα ἄνω καὶ πρὸς τῇ ὑπερῴᾳ*. subtiliora Ptolemaeus (I c. 3) excogitavit. cum tibia enim arteriam confert[1]), sed in tibia ‚*τοῦ κατὰ τὸ πλῆττον τόπου μένοντος ὁ τοῦ πληττομένου παραχωρεῖ*', in arteria autem ‚*τὰ ἐν ἡμῖν ἡγεμονικὰ .... εὑρίσκει ὑπαγωγέως τρόπον τοὺς ἐπὶ τῆς ἀρτηρίας τόπους, ἀφ' ὧν αἱ πρὸς τὸν ἐκτὸς ἀέρα διαστάσεις ἀνάλογον ἑαυτῶν ταῖς ὑπεροχαῖς ἀποτελοῦσι τὰς τῶν ψόφων διαφοράς*. acutiorum igitur locus illi quoque supra graves est.

Singularis igitur erat usus vocum ‚*ὑπάτη*' et ‚*νήτη*'. quem ex loco, quem in instrumentis hae chordae obtineant, explicandum esse recte dicit Plutarchus (quaest. Platon. IX 2, 1). perspicua autem usus origo est, si recordamur non Mercurii

1) cf. Aristot. de audibil 801 A, ubi eorum animalium, quae longa colla habeant, vocis quaedam violentia comparatur cum contentione, qua ad gravissimos in tibiis sonos edendos opus sit.

lyram paribus chordis intentam vetustissimam fuisse, quae est vulgata Graecorum opinio, sed multo ante Graecorum tempora Asiae populorum instrumenta imparibus intenta nota fuisse. nam in his gravissima supra ceteras ascendit. quamobrem in eis, quae Porphyrius (p. 217) refert: ‚antiquos trigono usos esse chordis instructo longitudine diversis, crassitudine paribus; postea demum inventum esse parium chordarum crassitudine diversarum usum', si non antiquissimam memoriam, at felicem eius coniecturam agnosco, qui nomina ‚ὑπάτη' et ‚νήτη' explicare studeat [1]). Latinos homines doctos nomina ab inversi loci imagine sumpta consulto vitasse manifestum est. vetustissimus eorum, quos quidem haec nomina vertisse sciamus, Vitruvius (V 4 p. 113 R) tetrachorda ‚μέσων συνημμένων διεζευγμένων' accurate reddit ‚medianum, coniunctum, disiunctum', ‚ὑπάτων' autem ‚gravissimum'. apud Martianum Capellum et Boethium ‚ὑπάτη' secundum aliam huius vocis explicationem ‚principalis' appellatur, ‚νήτη' a Martiano satis caute ‚ultima'.

Recentiore demum tempore ea opinio orta est, veteribus omnino sonos graviores tamquam supra acutiores positos obversatos esse. tunc ii, qui ὑποδώριον et similia modorum nomina explicabant, ad tibias refugerunt, ubi sonorum ordo citharis contrarius erat (Plut. Platon. quaest. IX 2, 1: τὴν ὑπάτην ἐν μὲν λύρᾳ τὸν ἀνωτάτω . . . ., ἐν δ' αὐλοῖς τὸν κάτω . . . . τόπον ἐπέχειν) et ὑποδώριον dictum putabant ‚διὰ τὸ ἐν τοῖς αὐλοῖς τετάχθαι αὐτὴν ὑπὸ τὴν δώριον ἁρμονίαν' (Athen. XIV c. 19). (non licet Ptolemaeum in hoc numero referre, qui (II 10) dicit veteres, quod tonum dorio graviorem ὑποδώριον appellarint, ‚καταχρῆσθαι' vocibus ὑπό et ὑπέρ (Gevaert I 226). nam ‚καταχρῆσθαι' est ‚improprie, translate uti'; quod de omni loci imagine ad sonorum differentiam indicandam assumpta dicendum est, sive acuta sive gravia alta vocantur. rectius fortasse Heraclides

1) aptiora etiam videntur haec nomina, si ita tenetur trigonon, ut in vetustissima sculptura (Mitt. d. d. arch. Inst. z. Ath. IX p. 156) ab homine sedente, qui trigoni rectanguli alteram cathetam in femine (non declivi) positam habet, cum hypotenusa a capite ad genu pertineat; nam cum gravissima chorda semper a corpore remotissima sit, hic ὑπάτη iuxta hypotenusam, i. e. re vera supra ceteras posita fingenda est.

Ponticus (Athen. l. l.) utramque sententiam repudiat et ‚ὑποδώριον' explicat ‚dorio similem'.) tunc demum ad hypatae et netae exemplum nova nomina fingebantur, ὑφυπάτη ὑπερμέση subprincipalis etc., et Boethius (I c. 20), qui accurate hanc doctrinam sequitur, ‚inferius' collocatas dicit chordas, quae acutiores sint, ‚superius', quae graviores. vetusta tamen consuetudo immixtis alterius imaginis vestigiis passim se prodit (cf. v. Jan Jahrb. 1871, 369 sq.) et tota rediit apud Bryennium (cf. Wallisii adnot. p. 365). vocabula autem ex contraria doctrina sumpta etiam, ubi haec valet, ibi solum usurpata invenimus, ubi de chordis earumque ordine disputatur. ‚ὑπὸ τὴν ᾠδὴν κρούειν' de instrumenti sonis acutioribus ad vocem humanam accedentibus nego unquam aut intellecturum quemquam aut dicere ausurum fuisse. itaque v. Janii explicatio repudianda est.

Westphal (II³ 180) ‚ὑπὸ τὴν ᾠδήν' ex consuetudine notas instrumentorum in scribendis poematis sub vocum notis ponendi explicandum censet; Gevaert (I 365) eius sententiam sequitur. sed quis haec intellegeret: ‚sub vocem instrumento canere' = ‚ita instrumento canere, ut, si scribas utrosque sonos, instrumenti soni sub alteris ponendi sint'? sed etiamsi cui tolerandum videatur huiusmodi loquendi genus, falsam Westphali sententiam esse inde apparet, quod ‚ὑπό' saepissime ita de coniunctis musicae partibus usurpatur, ut cum ista scribendi consuetudine non congruat. velut a Plutarcho (de aud. c. 7) ‚ὑπ' αὐλὸν ᾄδοντες' laudantur (cf. ὑπὸ τὸν αὐλὸν διαλέγεσθαι Xen. conviv. 6, 3). an hinc concludemus interdum tibiae notas voci suprascriptas fuisse? quid de αὐλήσει et κιθαρίσει ὑπὸ ὄρχησιν καὶ ᾠδήν (Plato Leg. II 669 D) faciemus? cui respondet apud Athenaeum (IV c. 17) ὄρχησις ὑπὸ τὸν αὐλὸν καὶ τὴν ᾠδήν, ubi Kaibel iniuria ‚πρὸς τὸν αὐλόν' legendum esse suspicatur. reciproci sunt Athenaei locus et Platonis, sicut ‚ὑπὸ τὸν αὐλὸν ᾄδειν' et ‚ὑπὸ τὴν ᾠδὴν κρούειν', et ex hac ipsa invertendae dictionis facultate sequitur ‚ὑπό' nihil significare nisi simul fieri ea, quae hac vocula iungantur [1]). Ar. probl. 19, 39 a Westphalio l. l. al-

1) inanis est Christii sententia (Metr. 700) praepositione ὑπό eam partem indicari, quae inferioris momenti sit. loci duo, quos affert (Kinesias χοροῖς ὑπᾴδει Ar. ran. 366, ἐμμέλεια = ἡ πρὸς τὰς ῥήσεις ὑπόρχησις Suid.) minime id comprobant.

latum, ubi *ὑπὸ τὴν ᾠδὴν κρούοντες* commemorantur, non minus huic sententiae favet. rectissima igitur Procli interpretatio (chrestom. II, p. 246 Wph. metr. Gr.): ‚*ὑπόρχημα τὸ μετ᾽ ὀρχήσεως ᾀδόμενον μέλος ἐλέγετο· καὶ γὰρ οἱ παλαιοὶ τὴν ὑπό ἀντὶ τῆς μετά πολλάκις ἐλάμβανον*'. item in Archilochi frg. 123 ‚*ᾄδων ὑπ᾽ αὐλητῆρος*' *ὑπό* = *μετά* explicat schol. Il. Σ 492. hinc Callimachus (hymn. in Del. 304) in describendo hyporchemate canit: ‚*οἱ μὲν ὑπαείδουσιν .... οἱ δὲ πλήσσουσιν .... οὖδας*', quia nimirum *ὑπᾴδειν* saltantibus et *ὑπορχεῖσθαι* canentibus ad eandem actionem pertinent. multis praeterea locis *ὑπᾴδειν* et *ὑπαυλεῖν* hoc sensu inveniuntur.

Ex hoc vocis ‚*ὑπό*' usu sequitur ‚*ὑπὸ τὴν ᾠδὴν κρούειν*' non potuisse intelligi nisi de instrumenti sonis simul cum cantu prolatis. reicienda etiam Volkmanni interpretatio, quam sequitur Bergk (hist. litt. gr. III 160); ad ‚interludia' enim — (necesse est verbum latinum fingere) — hi illa verba referunt, Archilochum igitur credunt primum vocis silentia instrumenti sonis explesse, cum antea non nisi una cum voce cithara sonuisset; quod ab omni probabilitate nimium quantum abhorret. immo vetustissimo tempore in solis vocis silentiis psallebant, Archilochus autem hic primus dicitur vocis et instrumenti sonos miscuisse.

Hinc statim sequitur ‚*τοὺς δ᾽ ἀρχαίους*' a Plutarcho non opponi Archilocho, sed vocula ‚*δέ*' generalem sententiam ad singularem addi. haec igitur dicit Plutarchus: ‚Archilochum ferunt primum crumata cum voce miscuisse, quae mixtio inde ab Archilocho apud veteres omnes ea erat, ut eidem utrimque soni redderentur'. ad eandem interpretationem adducere debuit ipsa vox ‚*ἀρχαῖοι*'. nam initio c. 28 de *ἀρχαίων* inventis Plutarchus se dicturum profitetur; disputatur c. 28—29, 2 de Terpandro Archilocho Polymnasto Olympo, deinde verbis: ‚*δηλοῖ ἕκαστον τῶν ἀρχαίων μελῶν ὅτι ταῦτα οὕτως ἔχει*' hic locus concluditur et verbis ‚*Λᾶσος δὲ*' etc. ad recentiores transitur (v. supra). itaque Archilochus c. 28, 5 non potuit ab *ἀρχαίοις* separari.

Qui haec de Archilocho scripsit, heterophoniam multo demum post Archilochum tempore exstitisse putabat. quae opinio sane

minime convenit cum eis, quae c. 19 de musicis vetustissimis traduntur. ubi heterophonia iam Terpandri aetati tribuitur (Westph. II³ 31. 36). c. 18 sq. integram Aristoxeni sententiam referri censet Westphal (ed. Plut. de mus. praef.), c. 28 sq. autem medio cuidam auctori (fort. Dionysio Halic.) deberi suspicatur, qui Aristoxenea non pura servarit. quae sententia quantopere eis confirmetur, quae de Terpandro utroque loco traduntur, breviter exponam. de polychordiae vetustate Aristoxenum ceteris meliora edoctum esse supra vidimus. perversa vulgo credebantur de chordis singulis a singulis inventis, quamquam Asiae populis iam diu plurimarum chordarum instrumenta in usu fuerunt. sana solus Aristoxenus (Plut. c. 18. 19) refert, scilicet non ignorasse Terpandrum et Olympum plures chordas, sed consulto paucis se continuisse; addit his Aristoxenus quosdam sonos in solo cantu (*κατὰ τὸ μέλος*) ab illis omissos esse, cum in instrumentis (*κατὰ τὴν κροῦσιν*) non vitarent. infelicissime capitis 28 auctor huiusmodi memoriam cum vulgari opinione conflare studet: *„Τερπάνδρῳ τὴν Δώριον νήτην προςετίθεσαν, οὐ χρησαμένων αὐτῇ τῶν ἔμπροσθεν κατὰ τὸ μέλος*", quasi inveniendus fuerit sonus, quo *κατὰ τὴν κροῦσιν* iam uti solerent. idem c. 28 ex. post multa, quae de Archilocho fortasse ex Aristoxeno sumpsit, ultima ex vulgari opinione addit. quae Plato, rerum novarum nimius osor, repudiaret, temerarie solebant omni veteri musicae abiudicare; ita inde, quod Plato ad puerorum institutionem *πρόςχορδα κρούματα* praefert, orta videtur ista opinio: *τοὺς ἀρχαίους πάντας πρόςχορδα κρούειν*. utrum is, cui haec debentur, Archilochum Terpandro vetustiorem an recentiorem fuisse statuerit, nescimus; cum Aristoxeni testimonio neutra ratione convenit. id autem hoc loco discimus, secundum vulgarem opinionem eo fere tempore, cum lyrica aetas epicam sequeretur, desiisse poetas solis praeludiis et interludiis carminum partes distinguere et coepisse instrumentorum sonos cum canentis voce miscere.

Haec de praeludiorum vetustate. quae non evanuisse, postquam *ὑπὸ τὴν ᾠδὴν κροίειν* coeperunt, manifestum est. praeludia spectare videntur Pindari verba P. 1,4 (*προοιμίων ἀμβολαί* cithara proditae), *σάματα* igitur, quibus parent *ἀοιδοί*, cum

endosimo (v. p. 58) comparanda. certissime ad praeludium referendum Simonidis frg. 46: ‚μή μοι καταπαύετ', ἐπείπερ ἄρξατο τερπνοτάτων μελέων ὁ καλλιβόας πολύχορδος αὐλός' [1]). ex usu instrumentorum praeludia singulis carminis cuiusque partibus praemittendi ἀναβολάς dithyramborum explicandas credo. ‚ἀναβάλλεσθαι' est ‚canendi initium facere', quod praemissis instrumenti sonis significare solebant. non recte Volkmann (ad Plut. de mus. c. 30) ἀναβολάς tamquam exordia propriis dithyrambi partibus praemissa fuisse putat; nam Aristoteles rhet. 3,9 ἀναβολάς antistrophicae compositionis vicibus fungi dicit; unde efficiendum totum dithyrambum ἀναβολαῖς compositum fuisse. in antistrophicis carminibus rythmorum repetitione carminis membra cernuntur, in dithyrambis eo tantum partes noscebantur, quod interdum cantus silentium et novum quasi initium — nimirum interposito instrumentorum praeludio — fiebat. ab his ἀναβολαῖς ipsae partes ἀναβολαί appellatae sunt, nam quot ἀναβολαί fiebant, tot partes cantus habebat. quod cum ἀναβολαί strophis respondeant, hoc quoque nomine sententia nostra confirmatur, Pindari carminum strophas interpositis instrumentorum sonis distinctas fuisse.

Etiam rei musicae scriptores de his instrumentorum partibus verba fecerunt. Aristides Quint. I 26 notis instrumentalibus significari dicit ‚τὰ κῶλα καί τὰ ἐν ταῖς ᾠδαῖς μεσαυλικὰ ἢ ψιλὰ κρούματα'. κῶλα significare modos mere instrumentales cum ᾠδαῖς non coniunctos et ex hoc conexu apparet et ex p. 91, ubi melodiae ἔν τε ταῖς ᾠδαῖς καὶ ἐν τοῖς κώλοις commemorantur. (item a Bryennio p. 390 ᾠδαὶ κώλοις opponuntur) [2]). id unum

1) Pind. N. 5,25: ‚Apollo in medio Musarum choro psallens ἁγεῖτο παντοίων νόμων' utrum ad praeludia an ad ducis munus per ipsum cantum pertinens referendum, dubito. nimis fidenter Christ (Metr. 671) totius strophae modos solis instrumentis praeire veteres solitos esse hoc loco confirmat.

2) idem igitur verbum et rythmi particulam et modos musicos significat. hinc lucem accipiunt duo comicorum loci (Damox. Syntrophoi Mein. IV 531 et Athenion. Samothr. ib. 558), ubi περίκομμα et περικομμάτιον simul et cibum quendam et tibiae modos significat. nam inter περίκομμα musicorum et metricam περικοπήν (Christ Metr. 133) eadem ratio intercedit quae inter κῶλον metricum et κῶλον musicum.

mireris, quod instrumentorum soni cum verbis coniuncti ab Aristide non commemorantur. Anonymus Bell. (p. 68) *μεσαυλικά* ipsa *κῶλα* appellat (*ἐν τοῖς ᾄσμασί ποτε μεσολαβεῖ καὶ κῶλα*). is quidem disertis verbis ea crumata, quae simul cum verbis proferuntur, et ea, quibus verborum silentia explentur, distinguit: ‚*ἔστιν* (scil. ubi notae instrumentales ponuntur) *ἢ παρελκυσμὸς μέλους κατὰ τὰς τοῦ ῥητοῦ συλλαβάς, ἢ μεταβολὴ ἐπὶ κῶλον μεσολαβοῦν ἢ ἐπαγόμενον*'. discimus igitur his locis usque ad tempora satis recentia mansisse vetustissimam illam consuetudinem vocis silentia instrumentorum sonis explendi.

Iam ad finem perducturo de rebus musicis ad Pindari carmina pertinentibus disputationem unum mihi restat, ut de modis verba faciam. carmina O. (5). 14. N. 4. 8 Lydio, O. 3 Dorio, P. 2. N. 3 Aeolio modo cantata esse ipse Pindarus indicat. difficultatem solum carmen O. 1 parat, cuius modos Aeolios fuisse ex v. 105 colligas, cum v. 18 poeta Doriam citharam poscat. quam difficultatem Westphal (II³ 85) ita tollere conatur, ut statuat citharam, quam ad hoc carmen adhibuerint, dorio diapason intentam fuisse, cantus autem melodiam fuisse Aeolicam. quod per se non absonum cogitare, cum hi duo modi cognatissimi sint. attamen quominus Pindari locum sic explicandum esse credam, duabus causis impedior. primum Pindaro, cum canit: ‚*Δωρίαν ἀπὸ φόρμιγγα πασσάλου λάμβανε*', non obversantur ea instrumenta, quibus re vera carminis O. 1 modi canebantur, sed aoedi personam agit (v. p. 39). deinde modorum nomina non commemorasset, nisi ad interiorem carminis indolem hae diversitates pertinuissent; alioqui indignum erat poeta talia commemorare. tibias Lydias vel chordas Aeolicas non ideo nominat, ut sciant audientes, intra quos sonos melodia versetur vel quem intervallorum ordinem servet, sed ut carminis naturae viva quaedam imago uno verbo excitetur. instrumentis usitata licentia tribuit, quod totius cantus est. Doriam igitur citharam non postulat, ut describat, quibusnam chordis intenta instrumenta adhiberi velit (quod eo minus aptum erat, quod toto hoc loco in imagine a rerum veritate aliena versamur), sed ut eam totius carminis indolem indicet, quam modus Dorius afferre solet.

Totum autem carmen duobus simul modis musicis prolatum cogitare absurdum est. quod monere non oporteret, nisi viri doctissimi duorum modorum huiusmodi coniunctionem invenire sibi visi essent. Horatii enim locum epod. 9, 5 sq.: ‚Sonante mistum tibiis carmen lyra, | hac dorium illis barbarum', Boeckh (de m. P. 256) Perralti et Buretti sententiam amplexus de modis Dorio et Lydio simul sonantibus explicat; in eadem sententia sunt Vincent (not. et extr. d. mscr. p. 76) et Fétis (sur l'harm. simult. 1858 p. 16) et alii. quae explicatio, si morali indole, id quod mihi persuasi, differebant hi modi [1], perversissima est; si solis sonorum intervallis, molestus et fatuus Horatius, qui de istiusmodi tibicinum et fidicinum curis in carmine verba faciat. idem cadit in carmen Ol. 1, cui Boeckh (l. l.) eandem interpretationem adhibet; nec satis mirari possumus viri eximii audaciam, qui ad Horatii carmen instrumenta ditono et diatessaron invicem consonuisse statuat et e Pindari carmine trihemitonii usum harmonicum ‚certo colligi' (!) dicit, quasi demonstratum esset instrumenti et vocis sonos, etiamsi diversi eorum modi essent, eodem tamen ordine per totum carmen se excepisse. Jahn (Hermes II 430) non simul, sed invicem lyram Doria et tibiam Phrygia accinuisse statuit; non recte, cum Horatius mixtos dicat tibiae et lyrae sonos. quae Kiessling adnotat, obversari Horatii animo epinicii Dorium et dithyrambi Phrygium modum, opem non ferunt. equidem ita Horatii verba explicanda censeo: oppositas inter se saepe invenimus apud veteres musicam Graecam et Asiaticam, oppositas etiam citharas tibiis. prius par fuisse, qui nominibus Dorii et Phrygii distinguerent, latiorem videlicet utrique nomini vim tribuentes, Aristoteles Pol. 4, 3 testatur (v. Bellerm. Anon. 28 adn. Westph. II^3 177); huc quadrat, quod Plato (Lach. 188 D) Doriam solam vere graecem harmoniam appellat, Aeoliam nimirum sive Hypodoriam eodem nomine comprehendens; confluxisse autem duo illa oppositorum paria cum aliunde tum ex Aristotelis (Pol. 8, 7; laudavit Bellerm.

---

1) Lucianus (Harmon. 1) in auletae officiis numerat modi cuiusque indolem servare, *τῆς Φρυγίου τὸ ἔνθεον, τῆς Λυδίου τὸ Βακχικόν, τῆς Δωρίου τὸ σεμνόν* etc.

l. l.) verbis apparet: ‚ἔχει τὴν αὐτὴν δύναμιν ἡ Φρυγιστὶ τῶν ἁρμονιῶν, ἥνπερ αὐλὸς ἐν τοῖς ὀργάνοις. ἄμφω γὰρ ὀργιαστικὰ καὶ παθητικά.' hinc non mirabimur tibiae praecipue Phrygia, lyrae Doria tribui. itaque Horatius, cum Dorium et barbarum instrumenta sonare dicit, nihil nisi epitheta ornantia instrumentis ipsis addit, quasi dicat: ‚lyra, quam Graeci colebant, cum tibiis, quas ex Asia accepimus, consonabit'. ipsos carminis sui modos non indicat, sed ita loquitur, tamquam audiri possit, cuiatia instrumenta sint. eodem ex usu Anth. Pal. 6, 46 σάλπιγξ dicitur μέλπειν κλαγγὰν βάρβαρον quod epitheton recte Duebner explicat ‚quia Tyrrhenorum inventum'. a Sopatro (Athen. IV c. 87) πηκτίς appellatur μούσῃ γαυριῶσα βαρβάρῳ i. e. pectis Lydorum inventum. simillimo loquendi genere ab Himerio (or. 5, 3) Alcman vocatur ὁ τὴν Δώριον λύραν Λυδίοις κεράσας ᾄσμασιν (Bergk P. L. Gr. III 14), quod non recte Bernhardy (hist. litt. gr. II, 1, 579) ad modos Lydios refert; Himerius nihil dicit nisi Alcmanem ex Lydia oriundum Dorica carmina composuisse. ad modos autem duos diversos mixtos Horatii locus non magis referendus quam tales phrases.

At vero Pindari Δωρίαν φόρμιγγα propter ceterorum locorum similitudinem, ubi Αἰολίδες χορδαί, Λύδιοι αὐλοί etc. commemorantur, fieri non potest, quin ad modum Dorium referamus. quod cum idem carmen v. 105 Aeolium modum habere dicatur, necessario sequitur, ut Platonis usum (quem sollemnem fuisse Aristoteles testatur v. supra) Dorii nomine et Dorium et Aeolium modum comprehendentis etiam Pindaro tribuamus. Pindarus modorum primum genus, deinde speciem nominat; quod non fecisset, nisi Dorius et Aeolius modus, quamvis diversi (cf. Heracl. Pont. ap. Athen. XIV p. 624 Wphal. II[3] 184), eo usque tamen similes fuissent, ut totum genus Dorium peculiari quasi morali indole a Lydio ceterisque modis differret. Dorii modi O. 3, 5 commemorantur; utrum modo proprie Dorio an Aeolio cantatum sit hoc carmen, diiudicari nequit.

Illud autem eo magis hinc perspicuum fit, quam non recte olim G. Hermann et Boeckh (de m. Pind. 278 sq.) diversissima duo apud Pindarum rythmorum genera ad Doriam et Aeoliam harmonias retulerint, cum Lydiae medium quendam inter hos

locum tribuerent. modos rythmis non astrictos fuisse diu demonstratum est (cf. Christ. Metr. 685); mirum igitur adhuc esse, qui Pindari O. 3, 4 sq. ad rythmos referant. Pindarus ibi a Musa precatur, ut sese adiuvet *νεοσίγαλον εὑρόντι τρόπον | Δωρίῳ φωνὰν ἐναρμόξαι πεδίλῳ*. Boeckh (de m. P. 276) *Δώριον πέδιλον* adnotavit non melodiam, sed rythmum dici, qui pede pulsetur; hanc sententiam non modo Dissen, sed etiam Mezger et Gevaert (II 390) sequuntur. Christ quoque Metr. p. 50 *πέδιλον* ad rythmum refert. quod non ideo tantum falsum est, quia metrum doctyloepitriticum dorium a veteribus appellatum esse neque veri simile est neque usquam traditum et Pindarus ipse tot similibus locis modos, non rythmos indicat; sed etiam imaginum confusio, quam scholiastae saepe iniuria Pindaro obvertunt, ab his viris pessima ei obtruditur — vocem infigere calceo, quo rythmus pulsetur! O. 6, 8 *ἐν τούτῳ πεδίλῳ πόδα ἔχειν* is dicitur, in cuius personam accuratissime conveniant, quae modo exposita sint. optime Dissen, quod vulgo dicitur *περὶ πόδα εἶναι* ‚apprime convenire', huc affert (iniuria H. Schmidt Synon. IV, 14 Dissenum vituperat et de volatu eius, qui canitur, cogitat). eandem O. 3, 5 vocis *πέδιλον* vim esse addito verbo *ἐναρμόξαι* ostenditur. Pindarus, ut solet, eius personam induit, qui ipse canat; itaque de voce sua verba facit; hanc Doriae harmoniae religiose adaptaturus est. si re vera praeter adaptandi etiam eundi notio crepidae imagine indicatur, non chorum saltantem spectat Pindarus, sed suum ipsius cantum cum itinere comparat. eadem enim imago Simonidis verbis (frg. 29) ... ‚ἵππον ἢ ... κύνα ἐλελιζόμενος ποδὶ μίμεο καμπύλον[1]) μέλος διώκων' subest et multo apertior apud posteriores exstat, velut Polybius ap. Athen. 14, 4 auletas dicit *διαπορεύεσθαι τὰς κρούσεις* et Proclus

1) non recte Passow hanc vocem ad rythmos artificiosos, H. Schmidt (Synon. IV 454) ad periodum magnam antitheticam retulerunt. *καμπαί* sunt vocis flexiones, *κάμπτειν* autem sicut *κλᾶν* et flectere et similia non molles solum recentiorum temporum modos significat, sed omnem vocis motum (velut *μέλος* definitur *διαστηματικῆς φωνῆς κεκλασμένης χρῆσις* Vincent l. l. p. 14; Vitruvius V 4 p. 110 R dicit: vox .... cum flectitur, alias fit acuta, alias gravis). itaque *καμπύλον μέλος* est melodia vivacissima crebro ascendens et descendens, cuius sonos canentis vox re vera *διώκει*.

(chrestom. II p. 246 Wph.) Apollinem psallentem *περιέρχεσθαι τὸν κρουσμόν*.

Iam *νεοσίγαλον τρόπον* facile explicabimus, qui viros doctos sine causa vexavit. quem ad metrum non posse referri recte Mezger dicit, quia metrum simplicissimum est nec novi quidquam praebet; non recte ipse novam Pindari rationem epinicium cum cantu deis sacro eodem carmine coniungendi significari putat. *τρόπον* de modis musicis, quae est sollemnis huius vocis significatio, hoc loco intelligendum esse verborum conexus docet. quidni Pindarum rythmo simplicissimo modos novitate insignes circumdedisse fingamus? sicuti Phallophori (carm. pop. 8) gloriari solebant *ἁπλοῦν ῥυθμόν* (trimetros iambicos) *αἰόλῳ μέλει* prorsus novo et inusitato a se perfundi, vel Terpander varios nomos suos ad unum metrum epicum adhibuit. sed ne necesse quidem est fingere singularem huius carminis in modis novitatem fuisse; ut metrum uniuscuiusque carminis novum esse debebat (quam legem semel Pindarus nescimus quibus de causis neglexerit), ita sine dubio modi quoque; neque intellego, cur ‚nimis tenue' videatur Disseno melodiae novitatem commemorari; idem fecit Alcman (frg. 1) loco simillimo, cum initio carminis item Musam invocaret: ‚*μέλος νεοχμὸν ἄρχε παρσένοις ἀείδεν*'.

Quod ad modorum coniunctionem attinet, Pindari fragmentum (191 Bgk.): ‚*Αἰολεὺς ἔβαινε Δωρίαν κέλευθον ὕμνων*' praeterire liceret, nisi et Boeckh (de m. P. p. 257) ‚Doriam harmoniam Aeolio cantui admistam' hic quoque invenire sibi visus esset et Westphal (II² 85) una cum Doriae citharae (Ol. 1, 17) explicatione supra memorata haec verba laudaret. certa proferri non possunt, cum sententiae conexum ignoremus: quid Bergk sibi velit, cum ‚*αὐλὸς Αἰολεύς*' supplendum censeat, non intelligo. mihi quidem comparanti Pausaniae verba (IX 22,3, allata a Schneidewino ed. Pind. vol. I p. LXXXI), qui narrat vicisse Corinnam, quia non caneret *τῇ φωνῇ τῇ Δωρίδι*..., *ἀλλ' ὁποῖα συνήσειν ἔμελλον οἱ Αἰολεῖς*, ingeniosa videtur Hartungii coniectura, qui *ἔβαινον* pro *ἔβαινε* coniecit. poteris etiam ad Terpandrum haec referre, qui, cum Lesbius esset, Lacedaemoniorum musicam restituerit. quod scholiasta ad P. 2,69, ubi de modo

Aeolio verba fiunt, hunc versum affert, nihil ad rem, quamquam Boeckhium movisse videtur; quam inconsulte enim veteres interpretes corraserint, quae inter se aliquo modo cohaerere opinarentur, hoc ipso loco famosum Castoreum: ‚Σύνες ὅ τοι λέγω' etc. ostendit.

Unum modum carmen quodque habebat, a quo tota eius indoles pendebat. at vero collectiones carminum ab Alexandrinis unquam factas esse secundum modos musicos distributas, id quod Et. M. s. v. εἰδογράφος et schol. Pyth. 2 praef. traditur, non magis credo, quam eum, qui hodie musici alicuius carmina mollia et dura seorsum velit edere, sanum iudicem. ista opinio ex male intellecto Apollonii ‚εἰδογράφου' cognomine orta est. εἶδος solum non potest harmoniam significare, nisi διὰ πασῶν additur vel e sententiarum conexu musica eius vocis vis elucet. quae sint εἴδη poematum, nota res; haec recte distinguere operae pretium erat. quid quod Apollonii sententia ad id Pindari carmen laudatur, de cuius modis musicis ne minima quidem, quoad sciamus, dubitatio fuit, maxima autem, in quonam poematum genere numerandum esset? fuerunt enim qui negarent epinicium esse (cf. schol. P. 2 praef.). talia tractabat Apollonius, non ea, quae Bernhardy (hist. litt. gr. II 1, 549) Etymologico Magno male confisus de eo refert: ‚τὰς δοκούσας τῶν ᾠδῶν Δώριον μέλος ἔχειν ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνῆγε, καὶ Φρυγίας καὶ Λυδίας' etc. haec aliquis perperam doctus ex nomine εἰδογράφος temere effecit. non magis Christii sententiae (Metr. 675) astipulor, qui Pindari odas singulas εἴδη a scholiastis propter varios modos musicos appellari credit, nescio an futtili isto de Apollonio testimonio commotus.

Index rerum.

ἀκολουθεῖν 2
ἀναβολή 77
Apollonius *εἰδογράφος* 83
ἀπορίας formula 67
ἀπόστασις 17
Archilochus 63, 71, 75
Aristoxenus vulgata opinione doctiora tradit 10, 12, 43, 76
‚Begleitung' 50
χηνίζειν 35
cithararum concentus 45
citharae cum tibiis iunctae 40, 43
coryphaeus 47, 51, 54, 57
διαλέγεσθαι et *διάλεκτος* 13
dialectus tibicinis 31, 34
διερριμμένοι φθόγγοι 7
dithyrambus 11, 77
Dorium 79, 82
modus Dorius ap. Pindarum 80
metrum Dorium? 81
ἤ — ἤ copulative 60
ἔναρθρος 19
ἐνδόσιμον 57, 63
ἐντείνειν 24
ephymnia 59, 68
epiniciorum sollemne dicendi genus 65
— vetustissima indoles 65
Eratosthenes 63
flageoletto 25, 30
futuri temporis ap. Pindarum usus 52, 62
heptachorda 10, 42
Hercules *καλλίνικος* 64
ἑτεροφωνία 2
instrumentorum imitatio voce facta 46, 68
καμπύλος 81
Καστόρειον 60, 63, 67
Athan. Kircher 49
κῶλα 77
κρουματικὴ λέξις 21
Lasus 2, 7, 10
Λασίσματα 12
μάγαδις fidium instrumentum 26
— tibia 28
— modus 28, 30
Melanippidae duo 9
μέλος 17
melodiae vetustae 48
metrica de Pindaro 70
μεταβολή 4
Minerva 6
modi quo consilio a Pindaro memorati 78
modorum mistio? 79, 82
mythi ap. Simonidem et Pindarum 66
νίγλαροι 23
πάμφωνος 5
παναρμόνιος 4
πηκτίς 27
πέδιλον 81
πέμπειν 40
περί 50
περίκομμα 77

Pindari licentia 38, 53, 60
epistulaene eius carmina? 52
Plato errorum innocens auctor 43, 76
plectrum 30, 56
pollicis ictus 55, 57
πολύχορδος 4
πολυκέφαλος 6
πολύφωνος 3
praeludia 68, 70, 76
inter versus singulos 68
προοίμιον 7
προςῳδία 18
σημεῖα 54
σημαίνειν 57
σκίνδαψος 19
σομφός 34
sonorum genera 19
συμφωνοῦντες αὐλοί 33
σύρμα 25
τερετίζειν 22
Terpander 10, 50, 76
tibia duplex 28, 44
tibicinum concentus 45
tibicines saltantes 56
tibicines in poesi scaenica 46
vox cum instrumentis comparata 18, 72
ὑπάτη 71
ὑπό 71
ὑψηλός 26

Index locorum.

Aelianus hist. an. 11, 1. 57
— — — 15, 5 58
— Platonicus apud Porphyr. ad Ptol. 218 12
Aeschylus Ag. 36 (Kirchh.) 69
— — 117 59
— — 1334 53
— Choeph. 634 60
— Suppl. 200 sq. 59
Alcman frg. 1 58, 82
— frg. 7 38
Anacreon frg. 18 26
— frg. 22 45
Anaxandridae Hoplomachi frg. 28, 29
Anonymus de mus. ed. Bellerm. 3 13
— — — — — 10=92 22, 31
— — — — — 68 50, 78
— — — — — 97 48
— — — ed. Vincent p. 14 81
Anecdota Bekk. I 5 38
— — II 676, 771 19
— — II 703 18
— — II 751 69
— — II 754 sq. 21
— Studemund I 229 30
Anthologia Pal. 6, 46 80
— — schol. 9, 226 6
— — 9, 340 44
— — 13, 20 44
— Planud. 7 34
Archilochus frg. 119 63
— frg. 123 75

Aristides Quintil. I 8 72
— — I 26, 91 77
— — I 29 25
Aristophanes Ach. 554 24
— Av. 267 sq. 46
— — 737 sq. 69
— — 1337 70
— — 1764 schol. 64
— Equ. 10 46, 69
— Plut. 290 53
— Ran. 366 74
— — 1286 sq. 46, 68
— — 1305 46
— — 1314 23
— — Thesm. 52 schol. 7
— — Vesp. 582 sch. 46, 47
Aristoteles analyt. post. I 22 22
— de anima II 8, 9 15, 17
— de audibil. 801 A 72
— hist. an. I, 1, 13 16
— — I, 9, 6 3
— — II, 12, 4 16
— — IV, 9 15, 16
— — V, 14, 4 17
— de part. an. 1, 17 16
— de poet. 26 13, 56
— polit. 4, 3. 8, 7 79
— — 8, 6 44
— probl. 11, 22 38
— — 19, 10 22
— — 19, 18 26, 29
— — 19, 20 56

Aristoteles probl. 19, 22 55
— — 19, 39 74
— — ined. 2, 86 (ed. Didot IV) 16
— rhetor. 3, 2 38
— — 3, 9 77
— — 3, 14 58
— top. 1, 15 34
Aristoxenus harm. I 8 18
— — I 9 14
— ap. Athen. XIV, 38 26
Athenaeus I c. 39, 40 56
— IV c. 17 45, 74
— IV c. 81 20
— IV c. 82 45
— XIV c. 4 56
— XIV c. 19 73
— XIV c. 36. 38 26
— XIV c. 37 26
— XIV c. 42 24
— XIV c. 46 30
Athenio Samothrac. frg. 77
Augustinus de mus. II 10 54
Boethus de mus. I 1 5
— — — I 20 74
Bryennius 390 ed. Wallis. 77
— 481 22, 31, 50
Callimachus h. in Del. 304 75
carmen adesp. (Bergk. P. L. Gr. III[4]) 85 60
— — 88 60
— pop. 5 58
— — 8 82
— — 10 39
Cassius Dio 56, 35 57
Cicero de or. 2, 352 66
Clemens Alex. paedag. 2, 4, 42 27
Columella r. r. 12, 2 57
com. inc. frg. 158 M. 12
Critias frg. 7 41
Damoxenus com. Syntroph. frg. 77
Demosthenes Mid. 13 46
Dio Chrysost. 56, 4 57
Diogenes trag. Semelae frg. 28
Diomedes p 420 K. 18
Dionysius Chalkus frg. 1 41
— — frg. 7 38
Dionysius Hal. Ant. Rom. 7, 72 55, 57
— — de comp. verb. p. 55 R 34
— — — — — p. 56 45
— — — — — p. 58 14
— — — — — p. 97 4
— — — — — p. 130 39
— — — — — p. 131 50
— — — — — p. 132 11
— — de vi Demosth. p. 1102 R 25
— — de Isocrate p. 540 25
Diphilus Synoris frg. 5 M. 35
Ephippus com. Empolae frg. 44
Eupolis Baptae 1 13
— Demoi 27 M. = 110 K. 21
Euripides Alcestis 164 53
— — 430 44
— Bacch. 590 60
— El. 695 38
— — 864 70
— Hel. 165 61
— Herc. fur. 680. 788. 1046. 348 sq. 64
— — — 683 41
— — — 1025 61
— Or. 148 38
Galenus (VIII 281 Kühn) 38
Gellius 16, 18 71
schol. Hephaestion. p. 82 55
Heraclides Ponticus ap. Ath. 14, 19 74
Hermesianax ap. Ath. 13, 71 67
Hesiodi eoeae 67
(—) scut. Herc. 230 45, 46
Himerius or. 3, 9 58
— — 5, 3 61, 80
Homerus Α 603 47
— Σ 491 44
— Σ 492 75
— Σ 495 45
— Σ 569. 604 47

Homerus Ω 721 58
— ϑ 266 47
— hymn. Apoll. Pyth. 11 47
— — Mercur. 425 sq. 70
Horatius carm. I, 12 67
— — II, 13, 13 39
— — IV, 6, 35 55, 57
— epod. 9, 5 sq. 44, 79
Jon tragicus ap. Athen. XIV 28
(Longinus) de subl. c. 34 3
Lucianus dial. mar. 1, 4 27
— diss. c. Hesiod. 1 10
— Harmonid. 1 46, 79
— Icarom. 27 67
— de luctu 20 58
— de salt. 10 46
— de salt. 27 50
Marius Victorinus p. 4 K 20
Maximus Tyrius or. 7, 7 57
— — — 11, 8 14
— — — 24, 8 4
Max. Victorinus p. 189 20
Melanippides Marsyae frg. 45
Nicomachus Geras. 2, 34 72
Nicophon com. Chirogast. frg. 22
Ovidius ars am. 2, 494 56
— metam. 10, 145 56
Pausanias IX, 22, 3 82
Phanias ap. Athen. 8, 46 30
Pherecrates frg. 145 K 12, 21, 24, 43
Philochorus ap. Ath. 14, 42, 24, 30 (em.)
Philodemus de mus. col. 4 23
— — — — 27 50
— — — — 29 22
Philostratus vita Apoll. p. 140 K 57
— — — p. 181 4, 34
— Heroicus p. 161 4
— vitae sophist. 13
Philostratus minor imag. p. 406 K 44
— — — p. 409 57
Photius lex. 300, 1 21, 31
Phrynichus com. Comast. frg. 22
Pindarus Ol. 1, 8 sq. 61
Pindarus Ol. 1, 17 51
— — 1, 18 39
— — 1, 104 53, 65
— — 2, 52 43
— — 3, 5 81, 82
— — 3, 8 12, 40, 44, 47
— — 6, 5 sq. 70
— — 6, 8 81
— — 6, 21 53
— — 6, 87 62
— — 6, 89 53
— — 7, 8 40
— — 7, 11 sq. 40
— — 7, 12 5, 44, 45, 47
— — 7, 20 53
— — 9, 1 63, 65
— — 9, 13 39
— — 9, 25 52
— — 9, 109 38
— — 10, 79 62
— — 10, 84 52
— — 11 53
— — 11, 16 53
— — 13, 108 53
— Pyth. 1, 1 sq. 40, 51
— — 1, 3 schol. 49
— — 1, 4 54, 76
— — 2, 4. 68 38
— — 2, 69 63, 65, 83
— — 2, 71 42
— — 4, 1 53
— — 6, 7 sq. 60
— — 7 53
— — 9, 2 sq. 70
— — 9, 73 53
— — 10, 30 sq. 66
— — 10, 55 52
— — 12 5, 44
— Nem. 3, 11 51, 53
— — 3, 11. 76 40
— — 3, 76 41
— — 4, 44 39
— — 4, 60 schol. 66

Pindarus Nem. 5, 24 42
— — 5, 25 77
— — 6, 38 61
— — 7, 77 sq. 53, 62
— — 9, 1 sq. 61
— — 9, 8 43
— — 10, 1 sq. 67
— Isthm. 1, 1 sq. 52
— — 1, 16 sq. 60, 63, 65, 66
— — 2, 47 53
— — 3—4 82
— — 4, 52 65
— — 4, 27 5
— — 4, 72 53
— — 7 67
— — 8, 8 52
— hymn. frg. 1 66
— frg. 90 Bergk 60
— — 105 67
— — 125 26
— — 191 82
Plato Alcibiades I 129 B 14
— Euthyd. 276 B 57
— Laches 188 D 79
— Leg. 2, 669 D 74
— — 3, 700 D 24, 41
— — 4, 716 D 14
— — 7, 812 D 2, 71, 76
— — 10, 887 D 14
— Phileb. 17c 71
— — 51 D 17
— Protag. 329 A 17
— Republ. 3, 399 A 18
— — 3, 399 D 4
— — 5, 454 A 14
— Sympos. 203 A 14
— Theaet. 146 B 14
Plutarchus de aud. 7 74
— adv. Coloten 22, 5 14
— contr. Epicurum 13, 4 4
— vita Ti. Gracchi 2, 5 72
— de ira cohib. 6 72
(Plutarchus) de musica 3, 9 50
(Plut.) de mus. 6, 1 4
— — — 18 sq. 19,1 76
— — — 21, 4 13, 35 (em.), 12,
— — — 28—30 8
— — — 28 50
— — — 28, 2 75
— — — 28, 5 71, 75
— — — 29, 3 2, 10
— — — 30, 1 9 (em.)
— — — 30, 2 8
— — — 30, 5 24
— — — 32, 2 31
— — — 36, 3—4 31
— — — 36, 4 13, 28, 33 (em.)
Plut. Platon. quaest. 9, 2, 1 72, 73
— — — 10, 2, 2 16, 22
— Sympos. 4, 1, 2, 6 5
— — 5, 2, 1, 4 5
— — 6, 1, 1, 5 38
— — 7, 8, 4, 11 44
Pollux 2, 105, 114 18, 19
— 4, 82, 83 23, 24, 28
— 7, 87 57
Polybius 3, 36 21
— ap. Athen. 14, 4 45, 82
Porphyrius ad Ptolem. harm. p. 192 W 15
— — — — — 217 73
— — — — — 223 18
— — — — — 259 17
Pratinas frg. 1 9, 51
Priscianus p. 5 K 20
(Priscianus) de accent. 2, 13 72
Proclus chrestom. p. 246 Wphal. 75, 82
— ad Plat. Alcib. 5
Ptolemaeus harm. I 3 72
— — II 10 73
— — II 12 25, 30, 50
Quintilianus 1, 12, 3 30
— 9, 4, 51 55
— 11, 2, 11 sq. 66
Rhesi auctor v. 548 5
scolium 19 (Bergk) 45
Sex. Empir hypot. Pyrrh. 1, 14, 74 16

Sex. Empiricus adv. log. 8, 133 19
— — adv. mus. 43 71
Simonides frg. 8 66
— — 29 81
— — 46 5, 77
Simplic. ad Ar. de an. 2, 8, 9 (p. 148 H.) 15, 17
Sopater ap. Athen. 4, 81 80
Sophocles Mysi 26
— Thamyras 27
Stobaeus ecl. 57 19
Telestes ap. Athen. 14, 21 27
Terentianus Maurus 2254 55
Theocritus 16, 45 42, 50
— 17, 1 sq. 60
— 22, 1 sq. 60
Theophilus com. ap. Athen. 14, 36 29
Tryphon ap. Athen. 4, 80 28
Vitruvius 5, 4, p. 110 R 81
— 5, 4, p. 113 73
Xenophon mem. 4, 5, 12 13
— sympos. 6, 3 74

Conspectus operis.

pag.

I. De polyphonia et dialecto crumatica 1

De Lasi invento 2

de tibiarum polyphonia 3

de Pindari carm. Pyth. X 5

de Laso novatore 8

De dialecto crumatica 13

de voce διάλεκτος —

Dialectus crumatica apud Aristotelem 15

— — ap. grammaticos 18

— — ap. Photium 21

quid sit τερετίζειν 22

qui sint νίγλαροι 23

quae sit μάγαδις 26

Dialectus auletae 31

Dialectus crumatica ap. Plut. de mus. c. 21 35

II. De Pindari re musica 37

De instrumentis a Pindaro adhibitis —

de heptachordo 42

De instrumentorum numero 43

De coryphaei partibus. Kircheri testimonium 47

de Nem. 3, 10 sq. 51

de chori duce 54

de endosimo 57

De poetarum consuetudine non proprie loquendi 59

Pindari licentia 60

de Castoreo 63

De instrumentorum sonis vocis silentia explentibus 67

quid sit ‚ὑπό' in musica 71

De modis Pindari 78